4°G. 34. Art. 38.

Digitized by Google

CASTRUCCII BONAMICI

DE REBUS

AD VELITRAS GESTIS

ANNO MDCCXLIV.

COMMENTARIUS.

LUGDUNI BATAVORUM
EDITIO ALTERA.

MDCCXLIX.

Digitized by Google

CASTRUCCII BONAMICI DE REBUS AD VELITRAS GESTIS ANNO MDCCXLIV. COMMENTARII

AD BENEDICTUM XIV. PONTIFICEM MAXIMUM

PRÆFATIO.

Magnum ingenium tuum, BENEDICTE *Pontifex Maxime*, *omniſque in omni ſcientiarum genere abs te cognita*, *explicataque doctrina*, *tum in latine ſcribendo nume-*

roſa quædam gravitas, & facultas admirabilis hortabantur me quidem, ut meum de rebus ad Velitras geſtis Commentarium latine conſcriptum, &, cum primum etiam divulgatus eſt, non ingratum nonnullis, &, quod a multis expeteretur, iterum nunc in lucem prodeuntem Nomini tuo celebratiſſimo conſecrarem: Neque, quominus id facerem, tenuitate operis deterrebar, cum ſciant omnes, egoque ipſe, & frater meus Philippus, qui Romæ, apudque te vivit, experti ſæpe ſimus, eam eſſe in tantis opibus, tantaque imperii altitudine humanitatem tuam, ut non ſolum ſumma quæque, atque inſignia, quæ quo-

dam

dam jam, atque uſitato fortunæ, virtutiſque tuæ jure deberi tibi omnia videntur, ſed etiam mediocria, & humilia benigne, comiterque excipereſ; atque in illis perfectionem, conatum in his perficiendique voluntatem laudares. Sed illud potius verebar interdum, ne ipſius argumentum libri, qui bella, præliaque, & imbutos, ut ita dicam, ſanguine gladios afferret, non ſatis propterea accommodatum homini eſſet, ad quem liber mitteretur: Qui quidem & mitiſſimo eſſet animo, ſtudiaque pacis privatus ſemper coluiſſet, & ſummam Chriſtianæ Reipublicæ adeptus pacis auctor fuerit præcipuus, atque erumpentes jam Prin-

ci-

cipum iras comprimere ſtatim voluerit, multaque, poſteaquam itum ad arma eſt, in eam rem cum ſcripſerit ipſe, tum per legatos ſuos egerit præclara, atque divina: Factumque fortaſſis eſſet tuo, Pontifex Piiſſime, ſtudio, ac diligentia ut componeretur, niſi Regum temporumque arbiter Deus ob delictum aliquod noſtrum non tam auctoritati tuæ, quam communi ſaluti viam obſtruxiſſet. At vero intuenti mihi in dignitatem tuam ampliſſimam, ſanctiſſimamque, & ſummi in ea Pontificis, & ſummi etiam Principis videri perſona cum videatur, cumque Pontificatus doctrina, regnum autem prudentia illuſtretur maxime,

ac

ac regatur; nonne is liber, qui ſi non alias, at quia hiſtoriam continet, & doctrina eſſe inſtructus, & prudentia inſtruere legentes debet, eum potiſſimum virum deceat, qui Pontifex doctiſſimus, idemque Princeps ſit, & habeatur prudentiſſimus? Neque ſi tantus vir quietem Pontificia lenitate maluit, at a bellorum cauſis, atque eventibus cognoſcendis refugere debet; cum florentiſſimam, tamque late in Italia patentem ditionem obtineat, beneque noverit regnandi artes non pacis ſemper ac togæ ſocias, ſed interdum etiam belli, atque armorum eſſe. Ac doctrinam admirari facilius tuam poſſumus, quam laudare. Quibus enim verbis

bis explicari ejus infinita vis poteſt? cum nihil illam prætereat, quod quidem ſciri, diſcive oporteat. Nihil eſt in eloquentia magnificum, nihil in philoſophia ſubtile, nihil in ſacra profanaque hiſtoria reconditum, non denique rerum, non verborum, non hominum, non temporum notitia ulla eſt, quam non Benedictus Decimus Quartus inveſtigarit, ſcierit, illuſtrarit. Nam quid ego de juriſprudentia dicam? in qua etſi unus excellis maxime, tamen minus admirandum eſt, ob eam autem cauſam minus admirandum, quod non tua tam eſt ejuſmodi laus, quam familiæ tuæ nobiliſſimæ Lambertiniæ, cui civilis, ac

Pon-

pontificii juris peritia ingenerata eſſe videtur. Tantam autem doctrinæ præſtantiam illæ potiſſimum teſtantur doctorum hominum familiaritates, atque amicitiæ tam nobiles, tam vero frequentes, ut nullus ubique ſit paullo notior eruditus vir, quin ad te, aut de te ſcripſerit, cuique non tu ipſe ſcripſeris. Quo dubito magis, utrum major tibi in hac re laus, an doctis viris gratulatio debeatur; Cum tu in maximarum oppugnatione rerum non intermiſeris ſtudia literarum; neque, quod magnum, rarumque eſt, paſſus ſis in tanta exaggeratione fortunæ obrepere ad animum tuum humanitatis neglectum, & vete-

rum oblivionem amicorum: Docti autem viri eundem habeant te & patronum, & æſtimatorem, gaudeantque, a quo ornantur, labores ab eodem probari ſuos; quorum mea ſententia fructus hic eſt vel jucundiſſimus: Ex eoque etiam fieri exiſtimo, ut omnes ad te, ut antea dixi, aut de te ſcribant; Nempe ut doctiſſimo Pontifici probati eſſe videantur. Neque, cum id faciunt, laudare te magis volunt, quam laudi inſervire ſuæ, propriamque ingenii gloriam in aliena prædicatione aucupantur. Quanquam neque laudatore ullo eget, neque teſte doctrina tua, quæ ſcriptis commendata ſapientiſſimis, ipſa de ſe, vel tacentibus

aliis,

aliis, prædicat, atque teſtatur: Quibus in ſcriptis habent præſentes, quod legant, poſteri quod admirentur, omneſque ad inſtitutionem ſui ſuſcipiant, Eccleſiaque ipſa afferat ad ornamentum dignitatis, atque ad præſidium ſtabilitatis ſuæ. Hoc Pontificem, qui te Cardinalem, hoc Cardinales, qui te Pontificem crearunt, ſpectaſſe cum primis arbitror. Ille enim ampliſſimum Collegium cohoneſtari doctiſſimi hominis honore præclarum duxit; hi putarunt indecorum non præponi omnibus in imperio, qui omnes in doctrina antecelleret. Itaque ſimul atque in illis Comitiis, in quibus ipſe es Pontifex renunciatus, quæque dilata ſatis diu,

rum oblivionem amicorum: Docti autem viri eundem habeant te & patronum, & æſtimatorem, gaudeantque, a quo ornantur, labores ab eodem probari ſuos; quorum mea ſententia fructus hic eſt vel jucundiſſimus: Ex eoque etiam fieri exiſtimo, ut omnes ad te, ut antea dixi, aut de te ſcribant; Nempe ut doctiſſimo Pontifici probati eſſe videantur. Neque, cum id faciunt, laudare te magis volunt, quam laudi inſervire ſuæ, propriamque ingenii gloriam in aliena prædicatione aucupantur. Quanquam neque laudatore ullo eget, neque teſte doctrina tua, quæ ſcriptis commendata ſapientiſſimis, ipſa de ſe, vel tacentibus

aliis,

aliis, prædicat, atque teſtatur: Quibus in ſcriptis habent præſentes, quod legant, poſteri quod admirentur, omneſque ad inſtitutionem ſui ſuſcipiant, Eccleſiaque ipſa afferat ad ornamentum dignitatis, atque ad præſidium ſtabilitatis ſuæ. Hoc Pontificem, qui te Cardinalem, hoc Cardinales, qui te Pontificem crearunt, ſpectaſſe cum primis arbitror. Ille enim ampliſſimum Collegium cohoneſtari doctiſſimi hominis honore præclarum duxit; hi putarunt indecorum non præponi omnibus in imperio, qui omnes in doctrina antecelleret. Itaque ſimul atque in illis Comitiis, in quibus ipſe es Pontifex renunciatus, quæque dilata ſatis diu,

multumque exagitata fuerant, tuum eſt nomen auditum, illæ continuo comitiorum undæ reſederunt, incredibilis extitit Cardinalium omnium Pontificatum tibi mandantium conſenſus, eaque tamque perſpicua ejuſmodi nuncium conſecuta eſt per orbem ſine ulla varietate univerſum approbatio, ut non Cardinalis cujuſdam, ſed ipſius Doctrinæ, Sapientiæque nomen ad omnium accidiſſe aures videretur. Ac ſi tempus fuit ullum, cum accedere ad regnandum Pontifex debuerit ingenti doctrina, ingentique adeo prudentia inſtructus, tum profecto fuit, cum difficillimi temporis tempeſtas oborta eſt, & patrocinium pacis excluſum. Nam

cum

cum propter loci opportunitatem finitimique regis potentiam ipſæ omnes Pontificis provinciae, quanquam integræ eſſent a partibus, atque a bello otioſæ, exercituum nihilominus itineribus, & caſtris attentarentur, non fuit profecto recuſandum, quin multa neceſſario quodam armatorum hominum impetu acciderent, quæ tamen prudentia corrigi, non frangi vi oportebat. Quæ quidem vis vel fuiſſet inutilis futura quieto, vel periculoſa bellanti. Neque, propterea quod arma juſte ſumpſeris, ſalutariter iccirco uti ſemper potes; Cum illi ipſi, qui exercitibus imperant, ſervire temporibus, in multiſque connivere cogantur.

Erant certe, qui ferociora Pontifici, eique, ut ipſi ajebant, glorioſa ſuaderent. At ille, quod prudentis maxime principis, & moderati eſt, non gloriam in dominatu ſuam, ſed eorum, quibus præerat, ſalutem, utilitatemque ſpectabat. Quibus quì conſulere rebus potuiſſet, ſi aut otioſas infinita jactura copias alere, aut viribus pugnare cum valentiore voluiſſet? Quorum erat alterum populorum bonis, alterum vitæ, & totius fortaſſe imperii incolumitati graviſſimum; utrumque certe ab ejus Principis prudentia alienum, qui pacis bellique momenta noſſet, ſciretque iis ſeſe præeſſe provinciis, quæ non gladiis, piliſque, ſed conſilio, atque

que auctoritate quæsita Pontificibus sunt, idemque intelligeret, iisdem regna artibus retineri, quibus parta sunt. Et consilium quidem tuum laudari debet, quod temporibus, quod personæ, quod denique omnium saluti accommodatum fuerit; neque fortuna reprehendi potest, cum asperrimis in rebus tenueris dignitatem, atque auctoritatem tuam: De qua tantum abest ut quicquam deperdideris, ut ipsis ferociſſimis legionibus sancta esset, mediisque etiam in tempestatibus extaret, tanquam aliquod saxum, a quo illi armorum fluctus frangerentur. Nam cum uterque inimico animo exercitus sub ipsis Romanis manibus constitissent; cumque

in eo eſſent, manus ut conſererent, concurſu præter opinionem abſtinuerunt verentes (uti tum omnes confirmarunt quidem certe) ne victoris vis, aut victi fuga eam violaret urbem, in qua tantus vir, & parti propter inſignem prudentiam utrique Princeps admirandus verſaretur. Quam etiam ob rem potentiſſimus Rex Siciliæ, ac Neapolis, ſumma fortitudinis, ac militaris ſcientiæ laude hoſtibus rejectis, ingredi Romam voluit, non tam ut urbem inviſeret ad aeternæ nomen magnitudinis fato neſcio quo ædificatam, quam ut coram eum adoraret Pontificem, de cujus tam multa virtutibus abſens audierat, ab ejuſque ſapientia re-

gnan-

gnandi præcepta acciperet, a cujus auctoritate regni ipsius quodammodo nomen haberet. Sed quid ego piissimi Regis Caroli obsequium in te commemoro? Ipse Borussiæ Rex, cujus domi militiaeque imperium illius a Xenophonte in Cyro descripti imperii effigies est, ut, quod olim historiæ fidem superare videbatur, fieri nunc posse ipsa in præstantissimo rege res declararet: Atque ipse, inquam, Borussiæ Rex, quanquam majorum suorum superstitione inductus a Sede Apostolica dissentiat, ea de te tamen sentit, ea prædicat, ea legatos tuos observantia coluit, ut hæresis in eo quasi oblitum suæ, tuæ tantum doctrinæ, sapientiæque miraculo

vehementer illum commoveri appareret: Tu autem, Pater Beatiſſime, in peregrini obſequii lætitia illud doleres, regem tam præclarum, tamque nobilem non tecum de religione veriſſime ſentire. Sed ut eo, unde me quaſi quidam veriſſimarum tuarum laudum æſtus abripuit, revertar, non certe a prudentiſſimo principe argumentum hiſtoriæ, non ipſa a doctiſſimo Pontifice hiſtoria abhorret: abhorrere illud potius ab amplitudine dignitatis tuæ videbatur poſſe, quod non, cum primum in lucem prodierit, dicata tibi extemplo fuerit. Prima enim quæque digna principibus, eoque ipſis jucundiora videntur, quod prima ſunt.

ſunt. Ego vero, Pontifex Maxime, tibi primos, tibi poſtremos, tibi omnes labores meos acceptos, dicatoſque velim eſſe. Etenim quid illis honorificentius, quid mihi poteſt optatius contingere? Sed cum nondum antea exploratum eſſet, quale de Commentario meo fuiſſet doctorum hominum judicium futurum, multaque venirent in mentem, quare timerem potius ſcriptoris imperitiam, quam legentium ſperarem facilitatem, equidem verebar, ut ſatis tibi placere, tuæque reſpondere magnitudini poſſet. Nunc, cum ea de illo opinio fuerit, quam maxime vellem, paullo factus audacior eum ad te ſi non meliorem, at

pro-

probatiorem certe mitto: Qui quidem ſi, ut nomine commendatur tuo, ita judicio probabitur, haud erit profecto, cur omnium, atque ipſius etiam poſteritatis incorruptum ſubire judicium vereatur.

CA-

CASTRUCCII BONAMICI

DE REBUS AD VELITRAS GESTIS

COMMENTARIUS.

BELLUM Italicum a morte Caroli VI. Cæſaris Auſtriaci Borbonios inter, atque Auſtriacos conflatum ancipiti jam pridem Marte, variaque, ut fortuna, ita Principum Italiæ ſpe aut metu ducebatur. Quartum jam annum hærebat ad Italiæ portas Philippus Borbonius Philippi Hiſpaniarum Regis F. & licet Gallorum auxiliares Copiæ, noviſque ſuæ delectibus auctæ, ſubacti Allobroges, ſuperatæ Alpes;

trajectus Varus, expugnatæ Niceæ Montiſque Albani arces maximam illi in Italiam tandem, Galliamque Ciſalpinam erumpendi ſpem facerent: difficultates ſupererant tamen, plures etiam quam vellet. Obſtabant quippe Mari Auſtriacarum partium fautores Britanni, qui totum claſſibus Mediterraneum obſederant; Commeatus auxiliaque ab Hiſpaniis demorabantur; ea ſuis omnia ſociis ſubvehebant. Aditum terra intercludebat adhuc Sardiniæ Rex Carolus Emmanuel, locis arte, naturaque munitis, & populorum perſpecta jam fide fretus, ſimulque Thereſiæ Auſtriacæ Hungariæ Reginæ auxiliis, cujus in Ciſalpina Gallia latum erat Imperium: Qui Sardiniæ Rex, dum ſuum tutari Regnum, Regnique fines amplificare ſtudebat, omnem ſe Italiam tutari prædicabat: eaque de cauſa magnis præmiis inductus cum Britannorum Rege, Hungariæque Regina certis apud Vormaciam conditionibus convenerat. Genuenſium contra erant animi irritati: namque in eo conventu ablatum illis quaſi pro imperio fuerat Finarium, opportuniſſimum ad

Liguſticum Mare Oppidum : quodque ejus nationis hominum animis altius inſederat, videbantur ad injuriam contemptui etiam habiti. Vicinum igitur jam gravem, laterique nimium adhærentem timere, & longinquæ ſocietatis ſpem, atque arma reſpectare cœperant, parati, ubi ſe tempus daret, neque vana ſine viribus vis eſſet, pacificos, & cum cæteris Rebus Italiæ publicis communes ſenſus exuere. At qui pacis conſilia exuerat jam omnino, Mutinenſium Dux is erat Franciſcus Ateſtinus. Huic ab Auſtriacis, (quod majores quam conſueſſet, quamque alere poſſe videretur copias habendo in rerum novarum ſuſpicionem venerat) denunciatum minaciter erat, uti aut voluntatem nudaret ſuam, aut ab armis diſcederet, & quia recuſaverat utrumque, confeſtim avito Imperio ſpoliatus, domo ejectus, coactuſque ad Borbonios confugere futuros vindices dignitatis, Hiſpanienſi ſeſe liberalitate tuebatur. Hetruria ab utriſque occulte ambita, petebatur a nemine palam, & Lotharingiæ permutatione potiſſimum ſecura quieſcebat. Veneti ar-

mati ad fines, & nullis tamen partibus impliciti prudentis conſilii ratione, veteriſque Imperii auctoritate pacem ſervabant, eque tuto aliorum certamina & motus taciti ſpectabant; neque vero non vehementer dolebant ardere Italiam bello, propterea quod ſuæ in tanta propinquitate incendii, & communi etiam libertati metuerent. Pontifex autem Maximus, qui ſatis ſe adverſus omnes belli impetus Religione tutum arbitrabatur, re omnium graviſſima, quæque magnam apud Populos, Regeſque auctoritatem habere ſempeſ debet, armatorum nihilominus vim ſuſtinebat inermis, & dum neutri parti nocere pro ſua erga Chriſtianam Rempublicam benevolentia videri volebat, incommodi ab utraque parte plurimum neceſſario Ipſe accipiebat. Jam vero Carolum Neapolis, & Siciliæ Regem, Philippi Hiſpaniarum Regis Filium alterum, multa, diverſaque ſollicitabant. Exſtimulabat enim cum vetus partium odium, tum recens adverſus Britannos ira, quod putabatur illorum impulſu domum revocaſſe, quas paternis copiis legiones ad

Scul-

Scultennam uſque flumen ſubſidio miſerat: videbat ab Auſtriacis retorqueri identidem oculos ad Regnum Neapolitanum, tamquam ad prædam ſibi ereptam: conſilia eorum, conatuſque perſpexerat: quid ſibi, ſi (quod in Vormacienſi fœdere ſancitum diſerte erat) tota Borbonii *Italia* pellerentur, metuendum eſſet, cogitabat. Illa etiam cogitanti ſuccurrebant, Regni novitas, non ſatis dum corroborata auctoritas, ambitioſæ Principum mentes, incerti Populorum animi, multoque incertior bellorum eventus. Igitur quid Populi, quid Principes molirentur, attente inveſtigabat. Beneficio ut alii, nonnulli metu, omnes juſto ſibi lenique Imperio aſtringerentur, operam dabat. Præterea *Portum Neapolis*, eamque totam oram novis propugnaculis, munimentiſque ſuccingi, navale inſtrui, naves refici ædificarique, arma curari, Milites exerceri jubebat: ſingulas ex ſingulis Provinciis legiones conſcribebat, eaſque veteranis admiſcendo, militiæ artibus, laboribuſque aſſuefaciebat: præfecerat iis ex Neapolitana Nobilitate fortuna, & genere prin-

ci-

cipes. Quo facto res conſequebatur duas, ut & Milites in ſuo Regno paratos, inſtructoſque haberet, & Principum ſibi animos militaris honoris ſpecie devinciret. Denique etſi nihil ſe Italicis turbationibus interponere conſtituerat, quæ tamen ad bellum uſui forent, iniqua tempora præmeditatus, enixe parabat.

Hic tum erat Italiæ Principum ſtatus, is habitus animorum. Interea Bellum, uti dictum ſupra eſt, ab Auſtriacis, Borboniiſque gerebatur. Quædam utrinque velitationes, aliquot etiam prælia commiſſa erant. Celebris illa apud Campum Sanctum pugna tanta concertatione, dubioque adeo exitu pugnata eſt, ut ſuperiores ex ea utrique ſeſe diſceſſiſſe gloriarentur. Porro Auſtriaci, auctis poſt Campoſanctenſe prælium copiis, & recenti Principis Lobcoviczii Imperio elati (quod novi ſemper Ducis adventu militum animi excitantur) premere acrius Hiſpanos, atque audacius inſequi cœperunt. Hiſpanorum autem erat exercitus, & eodem Campoſanctenſi prælio, & diutinis laboribus itineribuſque,

que, tum etiam perfugarum frequentia attenuatus, neque celeriter redintegrari novis delectibus poterat; propterea quod & temporis oberat anguſtia, & mare, unde ſubmitti illis auxilia poterant, a Britannis arctius cuſtodiebatur. Itaque cum & propter militum paucitatem prælio contendere periculoſum, & incommodum eſſet propter inopiam cibariorum, iis, quibus jam inveteraverant, locis diutius immorari; ſimulque periculum illud eſſet, ne ab Auſtriacis, qui dimidio jam ferme majores copias haberent, ipſi circumvenirentur, neve obſeſſis (quod hoſtes conabantur) viis commeatus, & receptus intercluderetur omnis: tutius Hiſpani conſilium ſecuti, caſtris a *Piſauro* repente motis, quamquam extremum ſemper agmen carperent hoſtes, incolumes tamen, paucis in longo difficilique itinere deſideratis, cum omnibus impedimentis in Regnum ſeſe Neapolitanum receperunt: eſtque in eo receptu collaudata admodum Comitis Gagii Hiſpanorum Imperatoris virtus, & ſcientia rei militaris.

Id

Id ubi Neapolim litteris, nunciiſque perlatum eſt, & jam jamque adeſſe hoſtes fama, omnia ſemper in pejus augens, falſo nunciaret, animi hominum pro cujuſque aut ingenio, aut fortuna varie afficiebantur. Erant (quod in omni civitate, atque in magna præſertim multitudine accidere neceſſe eſt) qui odio præſentis ſtatus, inſita quadam naturæ mobilitate, novis rebus ſtuderent: & qui Patrimonio naufragi deſperatique ſpem magnam in rerum perturbatione ponerent, communique mallent, quam proprio caſu interire: & qui demum, quod Auſtriacas olim partes arctius, atque apertius, quam privatum hominem deceat, eſſent amplexi, & jacere idcirco ſibi, ac minus in præſentia valere videbantur, illorum propterea Regnum ſumme cuperent reviviſcere, a quibus multa ſibi, & magnifica pollicebantur. At horum omnium furor, partim populi totius mirifice pro Rege conſentientis fide deterritus, partim ſeveriori Magiſtratuum diligentia, & novæ inter eos, qui dubiæ fidei habebantur, inſtitutæ quæſtionis metu compreſſus fractuſ-

ctuſque ad inania vota, atque ad incertiſſimam ſpem devolvebatur. Reliqui vero fere omnes, qui aut miniſteriis, amicitiiſque Regiam attingebant; aut optimi Regis moribus ſuaviſſimis illecti, juſtiſſimo ejus Imperio delectabantur; aut ab Hiſpanis oriundi pro ſua gente acerrime ſtabant, parati erant quidvis perpeti ac facere potius, quam Germanorum iterum jugum ſubire. Nihilo tamen ſecius metuebant rerum humanarum viciſſitudinem, & nonnulli ex iis rei militaris ignari ad belli nomen ſtrepitumque horreſcebant, & quæ ipſi ſibi temere fingebant pericula, inepte miſerabantur. Pars igitur trepidare, pars gaudere, alii nimium cedere, timere, nimium alii, de *Rege, ac Republica* quidam, omnes de ſe cogitare. At Rex adhibitis ſummis viris, quibuſcum maximis de rebus communicare conſueverat, quid facto opus eſſet, quærere inſtituit. Cenſebat aliquis Auſtriacos irritari tam alieno tempore non oportere, Hiſpanis nimium aperte juvandis; recordabatur ancipitem martis fortunam; naturam populorum infidam, atque mo-

bilem: hinc Siciliam ac Brutios peſtis Mamertinæ metu laborare, illinc Veſtinos, ac Marucinos hoſtium imminentium furore urgeri dicebat: certos homines ad defectionem ſpectare forſitan: quieſcere nunc quidem, at commoveri poſſe ad belli, & fortunæ motum: nihil eſſe tam minimum, quod negligi in Imperio, atque in bello præſertim poſſit: magnum ubique, maximum intus periculum. Adverſus quos caſus tam multos, tam varios, tamque interdum repentinos, quæ ſpes? ubi belli nervus pecunia? ubi Exercitus? auxilia ab Hiſpaniis, aut advenire ſerius, aut prohiberi facile poſſe: ſuperum inferumque mare eſſe clauſum: mercaturis fatali hac Regum, & Nationum diſcordia impeditis fidem concidiſſe: vectigalia deteriora in dies fieri: Ærarium pene exhauſtum eſſe. Quod vero ad Exercitum attinet, collectitios eſſe milites tantum, tyronum turbam, aut deſerturos ſigna, aut etiam aggregaturos ſeſe hoſtibus, ubi hoſtes viderint: Hiſpanos autem Auſtriacorum multitudine perterritos, tot detrimentis abſumptos, tot itineribus de-

defatigatos quietem potius, ac laborum, periculorumque levamentum aliquod, quam prælia rurſus, & caſtra ſpectare: etiam atque etiam proſpiciendum eſſe, ne temere progreſſis turpis impendeat exitus, neve dum amicis prodeſſe volumus, nos pereamus, & ipſi non ſerventur. *Proinde* nullam ſibi niſi in otio ſalutem videri, & niſi in eo Rex conſilio perſeveret, quod conſtitutum jam cum Britannis habuerit, ut abſtinendo armis, neutram hoc bello in partem inclinet: cunctandum, & rationem interim excogitandam eſſe aliquam, qua & cedentes Hiſpanos ſublevemus, ſi poſſumus, & Auſtriacos inſequentes non offendamus. Contra erat, qui Hiſpanorum Exercitum *libentiſſimis animis* accipiendum, & cibariis, auxiliiſque, omni denique re juvandum eſſe putaret, nulla Auſtriacorum habita ratione: non utile Regi, non eſſe honeſtum Philippi Patris milites pro Patris ejuſdem Philippi hoſtibus, & jam ſuis deſerere; Auſtriacorum conatus omnes eo ſpectare, ut devictis ejectiſque Hiſpanis, Regem deinde Neapolis, quietis ſimulatione deceptum,

facilius conficiant, Italiaque omni potiantur. Eo Vormacienſe fœdus omne, eo intimam illam cum Sardiniæ Rege armorum, conſiliorumque omnium conjunctionem, tanto impendio quæſitam, pertinere: eodem etiam illud, quod per Britannos unum, idemque cum ipſis ſentientes, ut ſuperſederetur bello, utq. Neapolitana ab Hiſpano Exercitu auxilia avocarentur, tantopere contenderint: eodem pertinere, quod dum mediam Rex perſonam diligenter tuebatur, ipſi interea inſidias moliri, Neapolitani populi fidem per literas improboſque homines convellere nunquam deſtiterint: modo inimico animo cum Exercitu in Regni finibus eſſe: expectandumne etiam, *dum cunctantes*, & vetera illa ac pervulgata de ancipiti martis fortuna deque populorum natura mobili perpendentes, opprimamur? Quid tandem, inquit, veremur? aut cur de populi fide, de militum noſtrorum virtute, de copiis, de pecunia denique deſperamus? an non hic populus ille idem eſt, qui Proregum avaritiam, ſuperbiamque nuper pertæſus, Regem cupidiſſime proprium

prium appetiverit, deinde ejus benignitate captus adamaverit, a quo Rege magnis beneficiis ornatus, tantis commodis auctus fuerit? An non hujus ipsius populi constantia explorata tum maxime est, cum littori, portuique nostro Britannorum classis immineret minitabunda, & seditionis occasionem avida aucupari videretur? atque illis turbulentissimis diebus nemo in tanta sese multitudine commovit; Quin fuere homines, qui maris cognitione freti audacter sane, atque animose reciperent Regi, ituros sese ad Brittannorum naves, easque incensuros. Quid tu igitur nobis, ut populo credamus, suades? Ego vero non modo non illi credendum, sed summopere ab eo cavendum *esse dicam sane*, si vultis. Sed utrum diligentior cautio est in ejusmodi periculis pertimescendis, si falsa, an in vindicandis, si vera sunt? nam belli apparatu, & quiescunt timidiores, & scelerati, si qui sunt, obstinatoque ad facinus animo, cum non timeri sese videant, timere ipsi incipiunt, neque audaciæ suæ locum ibi esse existimant, ubi paratas offenderint ad de-

defendendum vires. At credo de militum noſtrorum robore, atque animis dubitamus: Quos qui collectitios appellat, ignorare is mihi videtur, iſtorum militum magnam partem vigeſimo jam ſtipendio functam eſſe: denique hos eſſe eoſdem, qui in Africa apud Oranum, cum ferociſſima Maurorum gente, in Italia apud Butuntos cum hiſce eiſdem Auſtriacis congreſſi ſuperiores diſceſſerint; & qui in Siciliam deinde tranſgreſſi Syracuſis, & Meſſana, quæ ab hoc ipſo Duce hoſtium Lobcoviczio præſidio tenebatur, in deditionem acceptis duo celerrime Regna receperint. Tyrones autem qui ſunt, ut in omni Exercitu ſunt, hi quidem juventutis vi, veteranorum exemplo, Ducum imperio, & in officio continebuntur, & ſi non vetuſtatis, eamdem certe exercitationis, & roboris opinionem aſſument; Illum vero Exercitum, Gagio Imperatore, & Campoſanctenſi prælio nobilem, Hiſpanorum, Belgarumque florem, & proximo hoc in Regnum receptu ab hoſtibus laceſſitum, num tandem quærere otium, an congrediendi iterum cum Auſtriacis occaſio-

ſionem ſitire arbitramini? Neque me illa movent, quæ de Mamertina peſte, deque utroque mari clauſo jactantur. Nam Mamertina peſtis Comitis Mahonii Legati diligentia, atque auctoritate, aut extincta jam fere eſt, aut ipſa diuturnitate ita relanguit, ut infrequentioribus *præſidiis* comprimi facile poſſit. Ut mare autem cuſtoditum, & ſeptum adeo eſſe concedamus, nulla ut omnino auxilia, & commeatus evadere poſſint, quid externa requirimus, cum domeſticis abundemus? An Siciliam, horreum quondam populi Romani, beatiſſimas Brutiorum Provincias, Campaniam præterea, Apuliam, Samnium non frumentum, non omnis generis commeatum, non equos, arma, *milites ſubminiſtrare* largiter poſſe cenſetis? Nam pecuniæ ad ſtipendium ſatis, mea quidem ſententia, eſt, ubi vectigalia fide redimantur, fide, ac diligentia adminiſtrentur, neque auri pondus in non neceſſarias res effundatur. Hiſce igitur copiis opibuſque cum hoſtis ferox avidus impendeat, & noſtris prope in faucibus urgeat, ſedentes adhuc, bellandum necne ſit, otioſe conſulimus?

Bel-

Bellum, bellum, inquam, gerendum eſt, vi vis quam maturrime repellenda, ne, quod turpiſſimum eſt, ſero ſapiamus; hoſtes autem ſocordiam noſtram ſuam putent occaſionem, & ad eorum conatus propulſandos, aut animum nobis, aut vires defuiſſe ſuſpicentur. Hac oratione inducti ad bellum plerique propendebant, utique Hiſpanienſis Exercitus omni aperte re juvaretur, & Neapolitanæ cum eo copiæ quam primum conjungerentur, decernere videbantur. Sed Rex ſatis in præſentia habens Hiſpanos, Regno, commeatuque non prohibere, quod ſalvis cum Britannorum Rege conditionibus facere poterat, nihil ſibi ulterius progrediendum eſſe exiſtimabat. Nam etſi *vera eſſe, quæ dicerentur*, videbat, tamen committendum non putabat, ut armis ſumptis dici poſſet, turbandæ quietis initium a ſe fieri. Dicebatur etiam permotus Ducis Montallegrii conſilio, qui apud eum rerum uſu, & ingenio ſolertiſſimo plurimum poterat. Is, uti ferebatur, vel quod natura prudentior eſſet, vel quod partam in pace auctoritatem imminui, ſuamque in bello operam

ram minus probari vererètur, bellicis propterea conſiliis adverſabatur maxime, iiſque Regem, populumque ſollicitari nolebat.

Dum hæc Neapoli conſuluntur, Princeps Lobcoviczius cum Equitatus, & Peditatus parte Comitem Brounium Legatum miſerat, qui Hiſpanos ad Truentum uſque amnem perſequeretur, & vexaret, atque etiam exploraret, ſi quid ab Auſtriaci exercitus propinquitate motus in Veſtinis, eaque circumloca oriretur. Ipſe in agro Piceno iter repreſſerat de ſumma belli admodum ſollicitus, atque incertus, quo progrederetur. Namque a principio cogitaverat, pulſis, fugatiſque Hiſpanis, in Lunenſem agrum *deſcendere*, *ibique*, & Galliam Ciſalpinam, Etruriamque reſpicere, unde illi commeatus facile, atque abunde ſupportaretur omnis, & Genuenſes continere, qui Vormacienſis Fœderis injuria incitati tumeſcere jam ad bellum videbantur, ſimulque præſto eſſe ad occurrendum Hiſpanis, ſi forte vacuum nacti a Britannis Mare, ad oram portumque aliquem Liguſticum impro-

viſo appellerent. Hiſpanorum enim auxilia mare jamdiu e Barcinonenſi littore ſpectabant, confeſtim in Italiam, ubi fuiſſet occaſio, avolatura; Britannorum autem Claſſis poſt navalem ad promontorium Sicienſe pugnam in Magonis ſeſe portum ſubduxerat, & diutius ibi morabatur, dum prælio, & longa Maris hyemiſque jactatione afflictæ naves, remigeſque reficerentur, ac inſtruerentur. Nunc vero in Neapolitanum Regnum hoſtibus receptis, Lobcoviczius ex rei commutatione longe aliud ſibi capiendum conſilium, atque antea cogitaverat, intelligebat; neque adhuc tamen, quænam hoc allato nuncio Hungariæ Reginæ mens eſſet, quæve deliberatio, ſatis ſciebat; & ſi Neapolitani Belli fortuna tentanda eſſet, ut ſatis firmum, ſatiſque magnum ad eam rem Exercitum haberet, magnopere verebatur. Incertus itaque, uti diximus, quo ſe verteret, in Agro Piceno conſederat, expectabatque ancipiti cogitatione diſtractus, quoad ſciret, quid nam Regina, audito Hiſpanorum receptu, decerneret, atque imperaret. At illam Neapolitani

Re-

Regni invadendi cupiditas invaſerat tanta, ut eorum, qui contra in Concilio ſentirent, opiniones, negligentius audirentur, neque prorſus quidquam adverſus proficerent ſocii atque amici Regis Sardiniæ obteſtationes; cum ipſe amiſſis locis plurimis munitiſſimis, patefacto in Imperii ſui viſcera aditu, ſaluti iam ſuæ diffidere inciperet, debitumque ſibi ex Vormacienſi fœdere Auſtriacorum ſubſidium maxime neceſſario tempore imploraret: non diſtrahendas vires eſſe, vociferabatur, non bella bellis ſerenda: cum conjunctis copiis vix ſatis præſidii eſſet ad præſentes hoſtes reprimendos, quid ultro alios accerſeret? cum ſua retinere vix poſſet, quid alienis inhiaret? ſeſe quidem timere detentis Neapolitano Bello Auſtriacis, & ſedentibus ad minorem Balearem Britannis, ne ipſe interea unus Hiſpanorum, & Gallorum impetus haurire, neve cogatur, tantis jam detrimentis acceptis, fortunæ tandem ſuccumbere: id ſi evenerit, denunciare antea ſeſe, atque prædicere, non ſine maxima ipſius etiam Reginæ pernicie, & forſitan totius Italiæ jactura eventurum

rum. Regina nihilominus in ſua ſententia perſeverat, eorumque libentius conſilio permovetur, qui Neapolim occupandam cenſent, & facillimi negotii rem eſſe demonſtrant, diſſipatis perterritiſque Hiſpanis, quieto atque adeo imparato Rege, at paratiſſimis (ut ſibi ipſi perſuadebant) ad defectionem populorum animis: Sardiniæ Regem nihil non timendo nimium timere: ſatis in eo virium eſſe ad Italiam ex ea parte tutandam, eoſque repellendos hoſtes, quorum magna pars difficultate itinerum, frigorum vi, crebritate præliorum, locorum expugnatione, aut interierit, aut dilapſa jam ſit: reliquis vero longe a domo in hoſtili, & non fructuoſa terra, Mari intercluſo, bellantibus præſidii parum, periculi nimium ſupereſſe. Multum in Germania deperiiſſe, pace cum Boruſſiæ Rege neceſſariis magis, quam æquis conditionibus facta: magno in Italia ſtetiſſe Sardiniæ Regis ſocietatem: ea omnia duobus opulentiſſimis Regnis acquiſitis, compenſari facile poſſe. Erat Romæ Comes Tunius, Epiſcopus Gurcenſis, Reginæ ad Pontificem Maximum Legatus.

tus. Ipſe & rem a principio per literas propoſuerat, & proclinatam nunc urgebat vehementiſſime. Hominem ſua ſponte officii ductum neceſſitate, quod Reginæ Legatus eſſet, tum etiam præcipuo adverſariorum odio incenſum, incendebant etiam magis plurimi qui Romæ Auſtriacis partibus ad inſaniam uſque ſtudebant, & nonnulli, qui ad eum ex Regno confluxerant, exules, damnatique. Hi dum a Regina aliquid legatoque exprimerent egentes, perditi, nihil magnopere penſi habebant aſſentari, mentiri, fallere, jactare amicitias, & Clientelas, comminiſci ſeditiones, magna atque incredibilia polliceri, alere credulitatem. Hæc tamen omnia, atque uberiora etiam, ut ſuæ plerumque homines opinioni largius indulgent, ad Reginam Epiſcopus Gurcenſis Viennam perſcribebat; & Viennæ credebantur, vel quia facile credimus, enixe quæ volumus, vel quia Comes Tunius, cujus prope in conſpectu Neapolitanum Regnum erat, melius propterea videbatur poſſe illius Regni ſtatum perſpicere. His de cauſis, quas commemoravi, magno

gno animo, majoreque ſpe Bellum adverſus Neapolis Regem decernitur. Imperatur Lobcoviczio, uti confeſtim cum exercitu ſuo in Neapolitanum Regnum irrumpat. Regni per Civitates, ac Provincias Reginæ Hungariæ nomine conſcriptæ literæ diſſeminantur. Solicitantur veteres, atque occulti Auſtriacarum partium fautores. Hebræorum Mercatorum, qui commercii, atque induſtriæ cauſa Neapolim vocati erant, expulſio promittitur. Apparebat id populo dari, apud quem illa natio conſuevit invidia divitiarum, & Religionis perverſitate offendere. Impunitates, immunitates, tabulæ novæ, præmia, honores oſtentantur. Omnibus modis omnium hominum, atque ordinum fides, ingeniaque tentantur. Comes Brounius Legatus, quem a Lobcoviczio miſſum ad inſequendos Hiſpanos demonſtravimus, de bello inferendo certior factus, Truentum celeriter tranſiicit, quod Flumen Neapolitanum a Pontificio Imperio dividit. Tumultuatur longe lateque; circumjacentes agros hoſtilem in modum devaſtat, occupat parva quædam in Veſti-

ſtinis loca ; eorum Magiſtratui panem, hordeum, maximeque pecunias imperat: levibus etiam prœliis cum Hiſpanorum Equitum ſtationibus contendit. Quo quidem tempore res accidit non prœtereunda ſilentio, & qua in ipſo expeditionis initio periclitari hoſtes potuerunt, quid Neapolitani Milites etiam gregarii poſſent, atque auderent. Namque Neapolitanus quidam inter Hiſpanos Dracones merens (genus id Equitum eſt, qui in prœliis ex equis interdum deſiliunt, & pedibus prœliantur) cum ab Hungaricis levis armaturœ Equitibus circumventus eſſet, non ſeſe hoſtibus dedit, non animo concidit, ſed equo admiſſo, ſchythicoque enſe elato in illos irruit audaciſſime, ſeptem ex iis interfecit, quoſdam vulneravit, reliquos conjecit in fugam ; atque interfectorum ſpolia cum retuliſſet in caſtra, atque ad Imperatoris pedes projeciſſet, admiratus Imperator viri virtutem, ducentos fortiſſimo militi aureos numerari juſſit, quos ille commilitonibus ſtatim ſuis largitus eſt, una ſe facinoris gloria contentum eſſe dicens, ut non magis invicti, quam

ma-

gni animi indicium daret. Lobcoviczium interim de bello jam non dubium illa rurſus dubitatio ſollicitabat: qua potiſſimum parte in hoſtium fines duceret agmen. Erant omnino itinera quatuor, quibus itineribus a Pontificis Provincia in Regnum Neapolitanum perveniri poterat. Tallacotienſe, & Rheatinum non admodum frequentia, & qua ire Exercitus, Hyeme præſertim, nequaquam poterat; propterea quod loca aſpera nimium eſſent, ac montoſa. Eorum itaque cogitatio ne ſuſcepta quidem eſt. Reliqua erant duo, quorum alterum mare ſuperum conſectatur, & per Potentiæ fluminis oſtia, atque Aſculanorum fines in Veſtinos ducit, eoque ad inſequendos *Hiſpanos Comes* Brounius ierat: alterum porro Umbriam attingit, agrumque Romanum diſcriminat, & per Anagniam, ac Fruſinonem in Campaniam illabitur. Hac erumpere in Regnum conabatur Lobcoviczius, & erupiſſe quondam ajunt Carolum Galliarum Regem illum, qui Ludovici Mauri Mediolanenſium Ducis turbulentis, atque ambitioſis conſiliis evocatus in Italiam deſcendit;

un-

unde Ludovico exitium, Carolo fuga, Italiæ omni vaſtitas, & nunquam interitura Tranſalpinorum bella evenere. Atqui plerique exiſtimant, ſi adhibita Lobcoviczius celeritate, tranſducto confeſtim Exercitu, fiumen Truentum eodem, quo Comitem Brounium præmiſerat, itinere in *Veſtinos* veniſſet, indeque nactus Apuliæ fuiſſet opima, ac maritima loca, potuiſſe ab eo bellum majori cum ſua utilitate, hoſtiumque damno adminiſtrari. Quæ res tamen plures recipiebat difficultates. Erat anni tempus duriſſimum, altiſſima nive. Difficillimæ propter viarum ac locorum, a luto atque nive ſubſidentium, anguſtias, æneorum tormentorum, cæterarumque rerum ſubvectiones. Conflictabatur *etiam rei frumentariæ*, pabulique inopia, quæ ingraveſcere in dies poſſe videbatur, ſi per hoſtium agros, aut per quos hoſtis pene vaſtabundus inceſſerat, ipſe nuſquam præparatis commeatibus iter facere cœpiſſet. Cum vero tota in feſtinando res conſiſteret, maximo erat ad conficiendi negotii celeritatem impedimento Aterni arx objecta excurrentibus, quam præſidiis,

ac propugnaculis munitam egregie, modo Hiſpano etiam Exercitu ſuccinctam, & tentare, & relinquere poſt ſe æque periculoſum erat. Dum autem Reginæ mandata expectat, dum rem frumentariam expedit, atque auxilia e Gallia Ciſalpina, auxilia e Germania conveniunt, multum effluxerat temporis. Interea accelerabant, ut ſeſe cum Hiſpanienſibus conjungerent, Neapolitanæ copiæ, & rei e veſtigio gerendæ occaſio, in bello præſertim occupanda, prætervolaverat. His rebus permotus Lobcoviczius illam ſuperi Maris viam relinquit, & cum vernum jam tempus præcipitaret, revocato Comite Brounio, ſuiſque omnibus in unum tandem coactis copiis via Flaminia per Umbriam, Agrumque Romanum in Campaniam, uti dictum eſt, conſtituit irrumpere.

At quibus viribus Neapolitanum Regnum profectus ſit oppugnatum, ſtatuere difficile eſt. Pro ſtudio enim partium alii amplificant, alii elevant militum numerum; & cum bella plerumque fama, atque opinione conſtent, ejuſmodi rumores, varia in vulgus edendo, adaugere

gere callide ipſi ſolent Imperatores, quo majorem ſuis fiduciam, hoſtibus injiciant metum. Sed viginti millia peditum fuiſſe, ſex Equitum feruntur. Accedebant legionariis collecti ex Tranſilvania, Croatia, Illyricoque omni, & finitimis regionibus velites, quos e ſuis latibulis excitos, ad prædam, bellumque in Italiam, Auſtriaci compulerant. Multi etiam capitis damnati, transfugæque convenerant, quos vitæ, veniæque deſperatio, & rapinarum ſpes acrius ad arma concitabat. Ex his conflatæ centuriæ, quod nullo ordine, nullaque diſciplina certa pugnarent, ſolutæ appellabantur. Erant præterea Hungaricorum Equitum circiter millia duo, qui libere, atque audacter veteri Parthorum more vagari conſueverunt; itinera habent infeſta, commeatus intercipiunt, loca explorant. Hunc Exercitum (quem majorem etiam fama eſſe nunciabat) ad invadendum Regnum trahebat Lobcoviczius inſignis ipſe Dux, & primis apud clariſſimum Imperatorem Eugenium ſtipendiis, & rebus in Boemia geſtis, & quod ad Italicum bellum tantum atque difficile haud nequidquam

miſſus eſſe videbatur. Jamque Macerata moverat IV. Nonas Maii, quatriduique viam progreſſus ſuperatis ſaltibus, qui Picentes ab Umbris dividunt, atque ad Camertes pertinent, modicis ad Forum Flaminii itineribus pervenerat. Advolat eo continuo Roma Comes Tunius. Omnia, quæ Lobcoviczio ſæpius per literas inculcaverat, coram ipſe agit multo vehementius. Excitat, hortatur, docet quantopere ad cauſſam Reginæque utilitatem interſit Neapoli confeſtim potiri: expeditionis gloriam commodaque amplificat. Id in primis facillimum factu eſſe dictitat: per omne enim Regnum, atque in ſinu Urbis Neapolis eſſe ait ſummæ potentiæ, magnæque cognationis homines qui fremant, præſentemque ſtatum ægre patiantur, & ſeſe Auſtriacis cupiant quamprimum adjungere: auctorem populis, non animum ad defectionem deeſſe: Proinde iret, atque auderet, nullo negotio opprimi poſſe Regem in ancipiti poſitum diſcrimine, cum domeſtica ſimul cavere & externa propulſare pericula debeat. Hæc dum in Caſtris cum Lobcoviczio Tunius agit, animadvertit Legatos, & ple-

pleroſque copiarum Præfectos alieniore eſſe in Lobcoviczium animo, deque illo aſperius loqui. Hominem eſſe dicere indiligentem, difficilem, & qui omnia revocet ad arbitrium ſuum, nihil de aliorum ſententia agat. Id utrum invidia, ac malevolentia adducti, quod homines de *his* libenter detrahunt, eminere quos videant altius, an revera, quod ita eſſet, dicerent, ac quererentur, ambiguum cum valde ſit, non videtur pro certo eſſe ponendum: præſertim cum qui Lobcoviczio uſi ſunt perquam familiariter, multa nobis, atque egregia de ejus facilitate morum, ingeniique præſtantia retulerint. Sed Comes Tunius Romam celeriter reverſus ſtatim literas ad Reginam dedit, *quæ illi* accurate ſignificarent, quæcumque ipſe de Lobcoviczio, deque aliorum Ducum diſſenſione, & querelis, in caſtris cum eſſet, audierat, atque perſpexerat. Regina, quod Regni repetendi occaſionem corrumpi prolatando, ac diſputando poſſe videret, ſeverius ad Lobcoviczium ſcribit, uti bellum, iterque maturet, ſimulque (ut aliquid Legatis etiam daret)

Le-

Legatorum in Concilio ſententiarum rationem haberi majorem jubet, neque eorum negligi conſilia, qui Auſtriacas Romæ res curabant; quorum ad bellum Neapolitanum opera, ac diligentia ob loci propinquitatem, & notitiam opportuna admodum eſſe videbatur. Lobcoviczius hiſce mandatis acceptis tripartito copias dividit, itaut Exercitus pars altera ab altera parte bidui via abeſſet: eo conſilio, ut earum Regionum hominibus, per quas tranſire copias oportebat, ſpatium daretur ad expediendos commeatus (erant enim eæ circum Regiones frequentibus Exercituum itineribus magnopere exhauſtæ, atque attritæ) ac ut ipſæ etiam copiæ ejuſmodi intervallo diſpertitæ facilioribus vecturis, cæteriſque neceſſariis rebus uterentur. Tali modo inſtructo Exercitu, & re frumentaria ordinata a Foro Flaminii Lobcoviczius progreſſus per Spoletanorum, Interamnatium, & Narnienſium fines ad Falerios Faliſcorum pervenit. Caſtra ibi locat, Concilium advocat. Adſunt Legati, primique Ordines. Adeſt Alexander Albanus Cardinalis, qui Roma tum forte ve-

venerat, & qui Sardiniæ primum Regis, deinde Hungariæ Reginæ patrocinio ſuſcepto Auſtriacis hac de cauſa partibus inſerviebat; adeſt etiam Comes Tunius Epiſcopus Gurcenſis, & Abbas Franchinius Tavianius Piſtorienſis magni Etruſcorum Ducis Legatus, cum militaribus viris de bello togati homines conſulturi. Variæ dicuntur ſententiæ. Diſputatur. Cum Legati, cæterique copiarum Præfecti, qui conventui intererant a Lobcoviczio cupidius diſſentirent, quam tempus poſtularet, atque e Concilio indignantes conſurgerent: comprehendit illos Alexander Albanus, & magnopere cohortatus rogat, diſſenſionum, & controverſiarum finem faciant, neu privatis ſimultatibus publicam cauſſam perditum eant: eadem agunt, atque orant Tunius atque Franchinius. Diſceſſum tamen a Concilio eſt, ut tumultuatum potius, quam deliberatum aliquid ſit.

Interea dum hæc ab Auſtriacis geruntur, Rex Neapolis ea ſpe lapſus, quod Auſtriacos, aut æquitate permotos ſua, aut Sardiniæ Regis periculo in alteram Italiæ partem retractos, nihil quidem contra ſe in præſentia auſuros eſſe arbitraba-

batur, consilio omni quietis, & cunctationis abjecto, hostibus quam maturrime occurrere instituit: Itaque, nondum hyeme confecta, duas ex Hetruria sua legiones arcessit, reliquas ex hibernis deduci, armari, supplerique, & convenire statim jubet; quasdam continenter præmittit, quæ ipsa sui adventus fama hostem interim demorentur, si per causam insequendi Hispanos eruptionem in Regnum Theatem versus facere contendant; quod collectis, junctisque ratibus ad efficiendos in Truento pontes,& præmissis nonnullis Hungaricis Equitibus, conari identidem minabantur. Ipse equitatui studet, frumentum, milites, pecuniam imperat. Imperata libentissimis animis Neapolitani faciunt, atque hoc etiam *majori diligentia, quod* summopere cupiebant removere ab se infidelitatis suspicionem, quam fidelissimæ Civitati, temere multa Austriaci jactando conflaverant. Portum Neapolis novis jam, ut diximus, extructis propugnaculis, ne quid a mari hostibus pateret, & dispositis præsidiis, tormentisque muralibus communire festinabat. Præterea naves bellicas duas, quinqueremes quatuor, totidemque

que biremes ; & magnum actuariarum numerum expediri jubet, quæ pro Cajetæ Littore portuque in ſtatione ſint, & auxilia exercitui commeatuſque, ſi opus fuerit, ſubvehant. Dat prudentiſſimis hominibus negotium, ut abſente ſe Rempublicam ſuſcipiant, atque adminiſtrent, idque *Michaeli* imprimis Retio claſſis Præfecto, commendat; ad quem non tam propter viri dignitatem, quam propter egregiam in moderando populo facilitatem totius Urbani Imperii ſummam reſpicere Rex voluerat. Cum vero dubiæ fidei inſimulati plures in vinculis haberentur, & tali in tempore lenienda potius, quam exagitanda populi vis videretur, ſolvi eos extemplo, liberoſque abire juſſit. Quo facto *magnam a populo*, cæteriſque ordinibus gratiam iniit, improboſque ipſos, tantæ manſuetudinis admiratione obſtupefactos, repreſſit ab omni conatu novorum conſiliorum. Ipſe ad hoſtem proficiſci conſtituerat, magnam Regium nomen in bello vim habere exiſtimans, eoque, & hoſtes terreri, & ſuos incitari, & Ducum uſitatas æmulatione imperii minui contro-

verſias, intelligebat: ſimul, ſi quid durius domi, foriſve accidiſſet, tutiorem multo inter armatos, atque apud ſuum exercitum fore ſibi locum videbat. Accendebatur etiam Philippi Fratris exemplo, qui iiſdem temporibus in Taurinis magno, fortique animo cum Rege exercitatiſſimo gerebat bellum; & dicebatur per eoſdem dies a Philippo Patre, militarium facinorum cupidiſſimo Rege, incitatus per literas ad bellicam fortunam, propriamque Borbonii generis laudem. Igitur domi rebus optime conſtitutis, atque omnibus ad profectionem comparatis, Civitatis Primoribus convocatis, Rex ſeſe ad hoſtem iturum, & Reginam interea cum liberis Cajetæ quietiori in loco futuram pronunciat. Tum vero hoc audito procumbunt Regi ad pedes Neapolitanæ Civitatis Principes, & multis precibus orant, atque obſecrant; ſi ipſe abeſſe cogitur Reipublicæ cauſſa, Reginam quoque diſcedere ab ipſis ne patiatur: maximo hanc rem Neapolitanis hominibus non dolori tantum, ſed etiam dedecori fore, cum videri poſſit aliquid Neapoli ſubeſſe, quod cavendum Reginæ vi-

vitandumque fuerit. Enimvero Rex negat Conjugis ſuæ, quæ gravida ſit, valetudinem pati, ut gravius etiam fatigetur Imperii occupationibus, iiſque rerum incertis, quæ turbata pace in magna facilius multitudine accidere poſſint: bono eſſent animo, neve ad injuriam interpretarentur facta, quæ alia omnino, juſtaque de cauſa fierent. De eorum autem fide eo ſe minus dubitare dicit, quo magis perſpicuam ipſorum erga ſe voluntatem videat; & videre ipſi poſſint, nullum ſeſe pro eorum incolumitate periculum recuſare. Hortatur denique, quando de ipſis non male meruerit, ſuum ut honorem ab hoſtibus defendant, & neceſſaria conferre ne graventur ad juſtiſſimum bellum, quod non intulerit ipſe, ſed propulſet illatum. Equidem quo mea me dignitas, & veſtra ſalus vocat, abeo, inquit; at quæcumque acciderit fortuna, utinam, cives, ſaluti veſtræ conſulere poſſim, dignitati meæ certe conſulam. Ad hunc orationis exitum flentibus omnibus, qui aderant, cum Conjuge, & liberis diſcedit Rex. Diſcedentem lacrymis, votiſque proſequitur infinita homi-

num multitudo, quæ ſubitæ profectionis nuncio commota (emergebat enim tum maxime dubiis in rebus erga mitiſſimum Regem populi amor) jam ad Regiæ domus fores convenerat, & longo perpetuoque agmine ſuburbium uſque, fora, viaſque omnes oppleverat, Regis diſceſſum, ſuam mœrens ſolitudinem. At Regni Principes, quibus major a dignitate metus erat, aut ſpes, eamdem plerique cum Rege fortunam adire parati, in belli illum labores, ac pericula comitati ſunt.

Neapoli VIII. Kal. April. profectus Capuam eodem die venit. Poſtridie Regina Legionis Italicæ, & Legionis Helveticæ Prætorianorum parte, & quinquaginta Cuſtodibus Corporis ſtipata Cajetam *cum liberis concedit*: Rex Vulturnum amnem non longe a Venafro ponte tranſgreſſus, quem ipſe pontem jampridem e lapide extrui ad ornatum commodumque Regionis juſſerat, Venafrum altero a Capua die pervenit. Apenninum inde ſuperare inſtituit, qua id jugum, cujus dorſo tota Italia dividitur, a Campaniæ finibus in Veſtinos excurrit, & cum Apulia continens eſt ab ea parte,

quæ

quæ ſpectat in orientem Solem. Loca erant ardua, aſpera, præruptis rupibus confragoſa, ipſoque anni tempore horridiora, & vere incipiente plurimæ Cœlo nives deciderant, quæ veteribus cumulatæ iter impediebant uſque adeo, ut quamvis diſcuſſa nive glacieque, incedere tamen ſine caſu, aut prolapſione aliqua miles non poſſet, & per præcipites ſæpe, lubricaſque altitudines provolverentur jumenta cum oneribus, intolerandaque frigorum vi vexarentur homines, & exanimarentur etiam aliquot. Tantis in difficultatibus nihil tam militibus faciebat animum, quam Regis exemplum, quem eadem a Cœlo, locique aſperitate perpeti, eoſdemque, alacri vultu excipere videbant labores, ad quorum patientiam aſſiduo ipſe venatu obduruerat, & regio animo pericula omnia minora ducebat. Maxime igitur difficili via per Rivi nigri, Montiſque Vallonii ſaltus ad Caſtellum Sangri proficiſcitur. Oppidum eſt opportuno loco ſitum, nomenque a flumine habet, quod prope Oppidum labitur; cui quidem Oppido Rex non ita pridem Civitatis nomen, & Jura dedit,

ut

ut Dominæ Loci Familiæ vetuſtiſſimæ Caracciolæ gratificaretur; utque perpetuo conſtaret, non invitum ipſum ibi Regem manſiſſe. Sed Rex partem jam copiarum præmiſerat per latiſſimam, ut in montibus, planiciem (quinque enim millia paſſuum in longitudinem patens, a menſura nomen accepit) iiſque imperat ut, adventante hoſte, Hiſpanis celeriter ſubſidio irent: ipſe cum reliquis copiis, modico intervallo, ſuis, Hiſpaniſque auxilio futurus ſubſequebatur. Sed cum hoſtium impetus langueſcere videretur, atque ejuſmodi languoris cauſa ignoraretur adhuc, Rex ad Caſtellum Sangri ſubſiſtere interea conſtituit, hæc ſpectans; Si Auſtriaci a Piceno ſeſe in Veſtinos effunderent, ipſe ut Hiſpanorum exercitu ſtatim conjuncto validior hoſtibus occurreret, ibique decertaret, ubi facilius coercere ipſos propter locorum iniquitatem poſſet, eademque ratione equitatum ipſorum, quo multum valebant, ad rem gerendam inutilem efficeret: ſin regionis natura oppoſitaque Aterni arce, & duorum exercituum conjunctione deterriti tenerent ſeſe, neque progredi

au-

auderent, tum ut ipſe quoque ſedens, itinera hoſtium circumſpectaret, quæque apud ipſos gererentur, cognoſceret, & conſilium pro tempore, & pro re caperet. Interim certos homines circum finitima loca miſerat, qui de re frumentaria providerent, vecturaſque Civitatibus deſcriberent, curarentque uti facile, & continenter neceſſaria ad exercitum comportarentur. Quidquid etiam Truentum, Lyrimque amnes interjacet, atque Aſculanorum, & Fregellanorum fines attingit, id omne præſidiis occupaverat, & maxime quacumque penetraturus hoſtis videbatur; atque ita militum manus per præſidia diſpoſuerat, ut colligi & ſigno dato convenire in unum extemplo poſſent. Hæc apud Regem belli ratio erat. At Romæ Trojanus Aquaviva Cardinalis, Hiſpaniarum, Neapoliſque Regum ad Pontificem Maximum Legatus, cum bellum in vicinia arderet, & plurima, ad bellum quæ pertinerent, inter Auſtriacarum partium fautores in Urbe agitarentur, impigre omnia prudenterque attendebat. Tantum autem poterat conſilio, gratia, auctoritate, diligentia, opi-

opibus, nihil ut Auſtriaci Duces in caſtris, nihil Romæ Legati molirentur, quod ipſi lateret in tempore. Per hujus igitur viri literas Regi renunciatur, Lobcoviczio eſſe in animo, depoſito his de cauſis, quæ ſupra demonſtratæ ſunt, invadendorum Veſtinorum conſilio, bellum in Caſſinatem transferre, indeque commodiore itinere Neapolim petere maxima cum ſpe, quam vani etiam rumores alant, fore ut per occaſionem, & propinquitatem exercitus ſui Campania omnis ipſaque arx, & caput Regni Neapolis ad rebellandum conſurgat; qua in rerum perturbatione, inclinantibus nonnullis ad Auſtriacum nomen, novaſque res, valde illum confidere probam ſibi potiundi Regni occaſionem dari poſſe. Hiſce Rex cognitis rebus, copias omnes ſuas a Veſtinis iter avertere, atque in Caſſinate contrahi, eoque Hiſpanorum etiam exercitum per Celanenſem, Soranumque agrum contendere jubet: ipſe a Caſtello Sangri Idibus Aprilis profectus in Campaniam regreditur, & cum Venafri propter rationem belli aliquot dies eſſet commoratus, eodem fere tempore,

quo

quo ſeſe a Piceno Lobcoviczius commoverat, & jam per Umbriam ſuas copias tranſducere cœperat, ipſe ad Sangermanum Caſſinatis agri Oppidum, & Marci quondam Varronis doctiſſimi hominis villam, pervenit. Quo cum in Oppido Rex eſſet, Hiſpanienſis, ac Neapolitani exercitus Ductores primos, qui eodem venerant, conſulere de bello cœpit, eique conſilio interfuit etiam Mutinenſium Dux conſtanti erga Borbonios fide clarus; neque abfuit Montallegrius, quem auctoritatem apud Regem habere diximus, & qui ex gravi morbo in itinere ſuſcepto, tum primum convaluerat. Erant nonnullorum ſententiæ, qui Regem ad Regni fines opperiri Auſtriacos arbitrabantur; nam Caſſinatem ſaltum cuſtodiri ob loci anguſtias facilius poſſe ajebant, & melius domeſticis copiis rei frumentariæ ali exercitum, quam aut in aliena terra quæſitis, aut longe comportatis: populares autem, ſi quid inteſtini motus timeatur, vel nihil moturos Regis præſentia coercitos, vel acrius etiam pugnaturos pro patria in conſpectu ſuorum. At Gagius, de quo ſupra diximus, Hiſpano-

rum Imperator, non expectandum esse, dicebat, dum hostium irruptione domestica quies obturbaretur, & populares, quocumque animo essent, irritarentur agrorum populatione, cæterisque belli cladibus: quam longissime a finibus submovendum esse hostem, turbarum, & seditionum spe appropinquantem: neque de commeatibus desperandum, quorum eo majorem in dies copiam affuturam, quo magis integræ a belli vastitate Provinciarum opes fuerint: hostes ipsos multum animorum, atque audaciæ demissuros, cum videant exercitum nostrum non modo non cedere eorum adventu, sed etiam propius accedere; fortiores enim videri semper qui provocant. Tantum esse militum, tantum in militibus virtutis, ut non quærendis latebris, saltibusque, sed apertis viribus, atque acie dimicari possit. Postremo Regis dignitati consulendum, cui quidem magis ad gloriam conducere videatur obviam hostibus ire, quam domi sedendo eorum impetus excipere. Gagii oratio momenti habuit plurimum ad persuadendum, & propter auctoritatem viri militari favore, lon-

longoque tot bellorum uſu partam, & quia utilior Regi, atque honorificentior viſa eſt; pleriſque etiam, ut in bello, ferociora placebant. His agitatis rebus continuo Rex a Sangermano diſcedit, juſtoque itinere Arpinum, atque inde Verulas, mox Anagniam pervenit. Anagnia Ernicorum in Latio Oppidum eſt editiore in colle poſitum. Subjecta Oppido planicies eſt ſatis magna, quam undique montes cingunt. Caſtra ibi Rex facit pulcherrimo aptiſſimoque ad copias explicandas loco; atque ibi primum cum Neapolitano exercitu Hiſpanienſis conjungitur, unaque bellum adminiſtrari cœptum eſt. Erant Hiſpanienſis exercitus Legiones peditum undecim, Equitum alæ tres, magis robore, quam numero præſtantes, quippe quas admodum extenuaverant itinera, prœliaque, & perfugarum frequentia. Erant præterea quingenti ferme excellenti virtute Equites Regii, hiſque adjecti erant tercentum, quos cuſtodiæ ſuæ cauſa Mutinenſium Dux habere inſtituerat, & lecta Hungaricorum Equitum turma, qui ad Hiſpanos ſuperioribus annis transfugerant. Hiſ-

panienſi Equitatui præerat Atriſci Dux, qui manu promptus, feroxque habebatur. Præcedebant agmen Montani pedites ferentarii audax ad procurſiones genus, & nihil minus, quam hoſtem mortemque metuens. Neapolitanum exercitum duodeviginti peditum legiones, Equitum alæ quinque conficiebant; ſi Provinciales legiones quinque modo conſcriptas excipias, veteranæ omnes, expeditionibus, atque altero jam Italico bello ad Scultennam exercitatæ, earumque pleraſque omnes Regi Filio Hiſpaniarum Rex conceſſerat. Hujus exercitus imperium permiſſum erat Caſtropiniani Duci, quem e Gallica legatione accerſitum propter bellicam laudem ſuis Rex copiis jampridem præfecerat. Erant etiam machinæ caſtrenſes, tormentaque omnis generis, quorum magnam partem ſumma adhibita celeritate adduxerat in Caſtra Comes Gazola Præfectus Fabrûm Regis Neapolis, & qui inter arma, ſtudiaque verſatus, ſingularis erat propter Mathematices notitiam in re militari præſtantiæ. Conjunctis copiis, luſtrato exercitu, donativoque militibus dato, tanta exarſit alacritas, ſtu-

dium-

diumque pugnandi, ut cum Rex equo circumveheretur caſtra, læti omnes ad aſpectum Regis conclamarent, expectari diutius non oportere, quin ad hoſtes iretur, utque ad hoſtes ducerentur, magnis crebriſque vocibus peterent. Rex poſtquam ſuos tam egregie animatos cognovit, poſtridie ejus diei Anagnia profectus in Labicanum agrum venit, Caſtraque ad Valmontonium, veteris Labici veſtigiis inſigne Oppidum, locat. Quatriduum ibi moratur, dum cibaria ad exercitum ſubvehuntur, quibus non ſatis proviſum eſſe dicebatur. Interea jubet, neceſſariis tantum retentis, reliqua impedimenta dimitti, quo milites ad præliandum expeditiores occurrant hoſtibus. Statuerat enim hoſtes adoriri, & militum alacritate incitatus, & quod illos impari numero etiam negligentius agere ſciret. Id ſi ea eſſet celeritate factum, quæ multum in bellis poteſt, opinio fuit, mari Auſtriacos excluſos, omnibus circa Regionibus partim exinanitis, partim ab Hiſpanienſi, & Neapolitano exercitu præoccupatis, frumenti, pabulique inopia compulſos, aut iniquo & tempore,

re, & loco decertaturos fuiſſe, aut ſeſe unde venerant recepturos. Cujus tantæ rei occaſio pulcherrima corrupta eſt paucorum dierum mora, quibus diebus ad Valmontonium moratur Rex cibariorum cauſa. Tam parvo ſæpe tempore, tantæ in bello commutationes fiunt. At Lobcoviczius, quem ad Falerios Faliſcorum Concilium advocaſſe ſupra oſtendimus, de Regis conſilio conjectura judicans, & de itinere certior factus, omiſſa omni diſputatione, maturandum ſibi exiſtimavit, & maritimis Romaniſque commeatibus timens, magnis Romam verſus itineribus contendere cœpit. Iiſdem diebus præmiſerat Rex cum parte copiarum Atriſci Ducem, qui Tyberim cæteraque ad Urbem loca exploraret, Frumentum, pabulumque omne, ne cui hoſtibus uſui eſſet, aut aveheret, aut corrumperet, atque omnem alendi exercitus, & longius progrediendi, quantum poſſet, facultatem hoſtibus eriperet. Præmittit etiam explorandi cauſa Prænefte Morillii Comitem Sanctacrucium Draconum Tarraconenſis alæ Præfectum, omni virum & virtutis, & nobilitatis laude præ-

præſtantem. Hoc vero magis Lobcoviczius properare, ut cum exercitu quamprimum ad Urbem eſſet, ne Roma, unde illi omnium rerum ſpes, marique, ac flumine tyberi prohiberetur; neve horrea, quæ ad Eretum conſtituerat, occuparet hoſtis, aut perderet. Itaque Vogthernium Inſtructorem exercitus cum expedita Illyricorum peditum, atque equitum Hungaricorum manu miſit, qui frumento, pabuloque, atque horreis conſuleret, Antecurſores hoſtium reprimeret, Pontem ad tranſducendas copias in Tyberi efficeret; ipſe cum exercitu ſtatim ſubſequitur. Qua re cognita Atriſci Dux paulatim ad Regem ſeſe recipere cœpit, cum plus Auſtriacis terroris, quam damni intuliſſet. Lobcoviczius omnibus copiis Tyberim tranſductis ad Eretum pervenit, caſtraque ibi idoneo loco ponit. Ereti paucos dies dum Lobcoviczius moratur allevandorum militum cauſſa, quos continens iter defatigaverat, plures Roma omnis generis, atque ordinis homines confluxerant in caſtra, propinquitate exercitus, & novitate rei invitati. Alii ſtudio partium, alii bellorum inſcitia de-

depravati, communi etiam vitio naturæ, cui nova quæque potiſſimum arrident, in maximam cujuſcumque rei admirationem rapiebantur. Nonnulli ex barbaricis veſtibus, immanique verborum ſono militum vires, atque animum æſtimabant. Omnes denique numerum copiarum, ordinem, robur mirari, laudare, nullum eſſe, dicere, nedum Neapolitanum exercitum, qui tantæ tamque invictæ multitudinis aſpectum modo ferre poſſit. Horum admiratione, atque vocibus mirifica acceſſit militibus, Centurionibuſque, & cæteris copiarum Præfectis opinio victoriæ, & noſtrorum contemptus, ſic ut paucis diebus ſeſe Neapoli futuros jactarent; atque Auſtriacarum partium aliqui Romæ, quaſi debellatum jam foret, de belli præmiis cogitarent. Ipſe Lobcoviczius, qui ſpei magis cauſam, quam ſpem ipſam attenderet, confirmatior tamen in dies, atque alacrior videbatur, vel præſentium adulatione ſublatus, vel ne aliquid militum fiduciæ non ita lætus Imperatoris vultus detraheret. Inſtructo igitur, & confirmato exercitu, recenſitoque copiarum nu-

numero ab Ereto progreſſus, trajectoque Aniene binis Caſtris ad Oppidum venit, quod C. Marii ſepties Conſulis Suburbanum fuiſſe ajunt. Rex comparata tandem re frumentaria a Valmontonio cum omni exercitu profectus eſt eo, quo diximus, animo, ut Suburbana præoccuparet, atque hoſtes, ſi ferret occaſio, adoriretur; Cumque millia paſſuum quatuor fere proceſſiſſet, nuntiatum eſt ei non longe Auſtriacos abeſſe, fierique poſſe, ut in itinere dimicaretur. Id ne accideret, magnopere ſibi præcavendum eſſe Rex exiſtimabat; namque periculoſum ducebat inter ſilvas atque interciſos vallibus colles, objicere prælio milites itinere, jejunio, imbre confectos. Acciderat enim repentinum imbris incommodum. Tormenta etiam ad prælium neceſſaria neque facile convectari, deterrima & lutulenta via, neque recte adminiſtrari per impeditos ſepibuſque obſeptos campos poterant. Ergo ſubitum pro tempore & loco conſilium capit; retorqueri agmen a Tuſculano, quo iter direxerat, Velitraſque occupari jubet. Velitris occupatis tumultuoſe conſidet exer-

citus magis, ut temporis anguſtia, quam ut rei militaris ratio poſtulabat. Erat enim perſuaſum non manendi animo caſtra ibi fieri, ſed ut aliqua militibus quies daretur; omneſque profectionis poſtridie ſignum expectabant; neque de Tuſculano ſpem, cogitationemque abjecerant. Interim Lobcoviczius ad Urbem cum eſſet, ſalutandi Pontificis cauſſa, compluribus Tribunis militum, primiſque ordinibus comitatus Romam ingreditur, tota undique ad adventum ejus effuſa Civitate. Certe multitudinis favore, & cupiditate viſendi Imperatorem fama jam, & præſenti expeditione clarum, celebratus adeo fuit ejus in Urbem introitus, ut nihil ei ad triumphum illo die, præter victoriam, defuiſſe videretur. At ille nihil rerum vanis occupatus ad exercitum eodem die rediit, motiſque a Mariano Caſtris, omnique hoſtibus ſuburbano excluſis ad Aricinum nemus proceſſit, & validam manum ante miſit, quæ loci naturam propter interjecti nemoris latebras difficilem cognoſceret, & qua in regione hoſtes verſarentur, quodve iter cogitarent, exploraret. Eadem qui cognoſceret,

ret, atque exploraret, præmiſſus ab Rege fuerat, cum peditum, atque equitum parte Joannes Ferreria Caſtrorum Præfectus. Hic cum hoſtium exploratores in ipſo nemore, atque itinere offendiſſet, levi commiſſa pugna, & nonnullis utrinque vulneratis, interfectiſque, maturius ſeſe ad Regem in caſtra recepit; eodem omnino tempore, quo jam Pyrochitrophorum Centuriæ, ſtationeſque exercitus omnes accelerabant, ut cedentibus auxilio ſuccurrerent. Poſtero die Rex Draconum Equitum, delectorumque peditum manum expeditam eſſe in armis jubet ad Tuſculanum (& Tuſculanum jam occupaverant Auſtriaci) eamque regionem omnem explorandam. Ecce autem dum hæc ab Rege adminiſtrantur, repente in ſupercilio montis, qui Velitris, Caſtriſque Regis imminebat, apparere hoſtes incipiunt, horribilemque e ſuperioribus locis ſpeciem præbebant, longe, lateque armis a Sole collucentibus, atque inſtructo agmine deſcendentes. Rex improviſo hoſtium adventu nihil permotus, productis omnibus copiis, equitatu, & peditatu idoneis locis collo-

cato, militibus, Ducibuſque ad virtutem, & fidem incitatis, quid hoſtes conſilii caperent, forti, magnoque expectabat animo. Lobcoviczius propius ſummo e monte conſpicatus Regis copias, inviaſque convalles, quæ inter ſuum, atque exercitum Regis intererant, perterritus tum demum difficultate rei, nihil exiſtimabat committendum temere. Itaque tenebat ſeſe. Cumque uterque utrique fuiſſet exercitus in conſpectu ſub armis continenter a prima luce prope ad meridiem: primi Auſtriaci abjecto, ut videbatur, rem prælio decernendi conſilio, Montem, quem inſederant, præſidio, aggeribus, tormentiſque munire cœperunt; qui Mons inter duorum exercituum Caſtra medio fere ſpatio eminebat. Rex ubi videt per Lobcoviczium ſtare, quominus pugna decertetur, caſtra & ipſe communire inſtituit, quæ aberant a caſtris hoſtium circiter millia paſſuum quatuor. Caſtra autem hoſtium a lævo latere negligenter poſita videbantur, diſſipato potius, quam deſcripto per Aricini nemoris ſaltus exercitu: In dextro Oppidum Lanuvinum verſus majorem Equi-

tatus

tatus partem Lobcoviczius collocaverat, quo facilius in agros excurſiones faceret, pabulatores interciperet, & commeatibus, ſi poſſet, a mari Neapolique Regios intercluderet; Ipſe in Oppido Nemorenſi Prætorium conſtituerat.

Erant interea Italiæ totius animi, atque oculi in utrumque intenti exercitum: neque enim majoribus umquam copiis, majorique partium ſtudio Neapolitanum Regnum oppugnatum, defenſumque eſſe conſtabat: Aliique alio trahebantur homines, ut cogitarent quid Carolo Regi, quid Auſtriacis, quid Neapolitanis, quid porro Italiæ omni accideret. Verum tanto diſcrimini, quod exercituum propinquitate admaturari videbatur, repugnabat natura loci, & eorum consilium, qui ſummæ rei præerant; innataque etiam mortalibus trepidatio, qui quo propius ad ſupremum rerum ſuarum certamen acceſſerint, eo longius a tanto fortunæ periculo abhorrere animo videntur. Namque Rex, ne hoſtium caſtris ſuccederet, impediebatur editioribus locis a Lobcoviczio præoccupatis, Aricinique nemoris anguſtia: Ne autem Lobcovic-

viczius in Regis caſtra irrumperet, prohibebatur vallium altitudine, majoreque Regis exercitu, quem etiam a machinis caſtrenſibus, tormentiſque omnibus multo eſſe paratiorem explorando cognoverat. Et locus, ut ad prælium committendum difficilis, ita erat opportunus utrique ad commeatus parandos, atque a copia cibariorum dimicandi irrepſerat negligentia. Roma Lobcoviczio & mare omnia ſubminiſtrabant; nihil Regi deerat, cum Neapolim poſt ſe & Campaniæ haberet uberrimam illam oram. Regem præterea domeſtica aliqua ſeditione revocatum propediem iri confidebat Lobcoviczius, Regios item milites, ut Provinciales, & modo conſcriptos, periculorum metu & militaris diſciplinæ tædio dilapſuros. Neque meliora Lobcoviczio futura eſſe ſperabat Rex, cum apud ipſos Auſtriacarum partium homines ille offenderet cunctatione, ſeditioſis conſiliis adverſaria maxime; cum de Sardiniæ Rege, deque Auſtriacis trans alpes, & in Gallia Ciſalpina duriora indies nuntiarentur; cum peſtilens in paluſtribus agri Romani locis Sextilis menſis in-

inſtaret, qui Auſtriacum potiſſimum exercitum e ſaluberrimis Germaniæ regionibus valetudine tentaret, atque conſumeret. Iis uterque de cauſis, commutata belli ratione, prælio abſtinere velle videbatur, atque expectare beneficium temporis, quo alter ad alterum opprimendum uteretur.

Quoniam ad hunc locum perventum eſt, non alienum videtur notitiam afferre aliquam Veliterni oppidi, atque agri, in quo & ſua Rex caſtra habebat, & eas uterque exercitus res geſſit, quas conſcribendas ſuſcepimus. Ipſum eſt oppidum in colle præcelſo, atque edito; utrinque convalles ſunt difficiles, vitibus tamen, atque oleis conveſtitæ omnes pulcherrime. Summam occupat oppidi partem converſam ad Aquilonem Curia, paulo-que infra Curiam Minoritarum Cœnobium eſt, quod ipſo ſemirutorum murorum oppidi ambitu cingitur ab ea parte, quæ ſpectat inter occaſum Solis, & Septemtriones. Totum autem oppidum multis tranſverſis diſtinguitur viis, ſed una præſertim paulo latiore, ac perpetua, quæ a porta incipit, quæ Neapolitana appellatur, in eamque deſinit, quam

Ro-

Romanam vocant. Propter hanc viam quatuor ſunt Plateæ, earumque maxima non longe a Romana porta diſtat. In ea & fons eſt ornatiſſimus, qui, aqua ab Aricino uſque nemore ducta, ubertim ſane fluit, & domus eſt Ginettiæ gentis, in qua ipſe diverſabatur Rex. Additi domui horti ſunt, per quos patet ab una parte aditus ad viam Syrmonetam verſus, iſque aditus, interjecta convalle diremptus, lapideo rurſus ponte hortis adjungitur; pontique erat militum præſidium impoſitum. In altera hortorum parte, quæ item alteri, qua Valmontonium itur, viæ, ponte adjungebatur tignis, atque aggere extemplo conſtrato, cohortes erant duæ Prætorianorum legionis Belgicæ. Ipſorum autem e regione hortorum, Romanæque portæ, ſub tumulo, cui Capuccinorum inſidet Cœnobium, conſtituti erant Equites Regii, & Cuſtodes Corporis Mutinenſium Ducis; tormentorum præterea, machinarumque omnium bellicarum ſedes. Dextrum Regis caſtrorum cornu, quod Artemiſio (ſic enim nominant) monti ſuccedebat, Legiones obtinebant prætoria-

norum, Hiſpanienſis, atque Italica, validiſſimum Regiæ militiæ robur: ſiniſtrum autem Neapolitanæ portæ, muro, ipſique oppido conjunctum Equitatus ferme omnis tenebat, & veterana Hybernicorum manus, Belgarumque prætorianorum cohortes quatuor, quæ in prima fronte conſtitutæ erant. Cæteræ copiæ dextro, ſiniſtroque lateri, medioque agmini opportune interjectæ omnem undique locum ita compleverant, ut Regiis caſtris oppidum contineretur; oppidi autem ſitu caſtra munirentur. Quæ ad Velitras Regio eſt inæqualis, atque interciſa foveis, ea non equitatui quidem, ſed peditatui maxime idonea erat.

Non multo longius a Capuccinorum Cœnobio Septemtrionem verſus continuatio eſt quædam montium, quorum alter altero editior aſſurgit, eorumque editiſſimus, qui ipſe eſt Artemiſius, cum Aricino Nemore continens eſt; pulcherrimumque habet, & latet patentem in omnem circa Regionem proſpectum. Qua vero ab Velitris longe millia paſſuum duo ejuſmodi montium ſeries aſſurgere incipit, duo ſunt, quantum jaculum adjici poteſt, ad

dexteram viæ, quæ Romana dicitur, paulo depreſſiores montes, quorum alter vergit in caſtra hoſtium, & appellatur Spina, alter vero propius Velitras eſt, eumque hoſtes primo inſediſſe diximus.

Hoc igitur Auſtriaci monte occupato, quem occupare noſtri neglexerant, vel propter loci diſtantiam, vel propter ſubitam, quam cogitabant profectionem, aliaſve ob cauſas, quas commemorari non eſt neceſſe, illum illi e veſtigio una fronte contra Regis caſtra communivere, diſpoſitis aliquot tormentis, præſidioque hominum mille impoſito. Huic præſidio, munitionique præerat Piſtaluccius. Auſtriaci, ut erat e monte deſpectus in caſtra Regis, atque oppidum, cum facile copiarum noſtrarum motus omnes, conatuſque obſervarent, nihil in tanta propinquitate apud illos inexploratum, nihil apud nos tutum erat. Atque etiam frequentes fiebant excurſiones, in quibus erat illis, uti loco ſuperioribus, melior ſemper pugnandi conditio; ſtationes autem, excubiæque noſtræ quotidie peragitabantur ictu telorum, quæ illi de munitione e tormentis identidem conjiciebant.

Si-

Simul noſtris magis, ac magis in dies caſtris appropinquabant, & domum quamdam propter viam Romanam quingentos non longe a Velitris paſſus, tumulumque occupaverant, ſtationeque inde Montanorum levis armaturæ peditum dejecta, ingentem jam in ſpem venerant, ita poſſe nos paulatim coarctari, ut vel loco excedere cogeremur magno cum periculo tam propinquis hoſtibus, tamque ſubito inſtantibus; vel ſi perſtaremus, & afflictarentur milites aquæ in maximis caloribus inopia, quod fontem, quem ſupra memoravimus, illi averterant, & perpetuis vigiliis miſere conficerentur, quod eſſet noſtris propter imminentem jam hoſtem continuo fere ſub armis excubandum, quæ res & perfugas vulgo augeret, & morbos; ipſi autem ulterius ſemper progrederentur, haberentque maximas a loco ſuperiore ad exercitum Regium aut fatigandum, aut etiam pellendum opportunitates; idque futurum glorians apud ſuos Lobcoviczius dixerat, Romamque perſcripſerat. Quibus in difficultatibus cum verſaretur Rex, conſilia inibat, quemadmodum illos loco tam

opportuno depelleret, ac ne ulteriora tentarent, reprimeret. Hæc deliberanti accidere viſa eſt facultas rei bene gerendæ. Namque animadverſum eſt, eam montium ſeriem, de qua paulo ante diximus, monti, qui a Piſtaluccio tenebatur, impendentem, eſſe nudatam omni præſidio; vel quod ſitum valde utilem minime cognoverint hoſtes; vel quod male parati ab omni genere tormentorum tantum loci opere complecti non potuerint. Illud etiam per exploratores cognitum eſt, montem ipſum a reliquo Lobcoviczii exercitu abeſſe nimium; adeo ut invadi prius poſſet, quam Lobcoviczius auxilium ſubmitteret, aut etiam ſentiret. His cognitis, datum totius rei negotium Gagio eſt, cujus etiam fuiſſe conſilium fertur. Gagius exquiſito per venatores quoſdam itinere, & delectis ad hominum millibus quatuor, quorum pars omnibus hoſtes viis circumveniret, eorumque munitioni ſuccederet; pars montium ſeriem illam peteret, quæ hoſtium præſidio impendebat: multa nocte ſilentio e caſtris egreſſus eſt, cum omnem interim exercitum ad omnes caſus ſub ar-

armis vigilare juſſiſſet. At hoſtes occupata, uti ſupra demonſtratum eſt, propter viam Romanam domo direptaque, hoc ſucceſſu feroces lætique noſtros contemnebant, atque obruti vino, cujus magnam ibi copiam nacti fuerant, cujuſque eſt gens avidiſſima, excubias obibant negligentius. Noſtri autem cum albente jam Cœlo in ſummum jugum, locaque iniqua virtute ſumma enixi eſſent, tam ſubito a fronte, a tergo, atque ab omnibus partibus eminus, cominuſque provolaverunt, ut hoſtibus ad arma capienda, telaque e tormentis explodenda tempus defuerit. Plures primo concurſu in ipſis tentoriis ita, uti erant, jacentes, ac ſemiſomnes interfecti, aut capti ſunt; reliqui, dum præcipiti fuga denſiores ſylvas petunt, aut ad ſuos ſe recipere conantur, a Regiis circumventi, qui omnibus occurrebant itineribus, projectis armis, dediderunt ſeſe. Unus etiam, qui fortiſſime reſiſtebat, Tripſius Tribunus militum legionis Pallavicinæ, debilitato tamen vulneribus, & contrucidato corpore captus eſt, quem paucis poſt diebus apud nos mortuum honorifice ef-

fer-

ferri curavimus, admirati virtutem, cui neceſſario iraſcebamur. Ipſe Piſtaluccius ſubito in domo oppreſſus, quam pridie expugnaverat, non ſe ex manibus irrumpentium militum eripere potuit. Omni Gagius hoſtium capto deletoque præſidio, quinque ablatis æneis tormentis, potitus & monte, pro quo certatum erat, & omnibus, qui monti impendebant, jugis: tum deinde ſtationes exercitus promoveri, equiteſque a parte oppidi Lanuvini circumfundere ſeſe, & procedere juſſit; atque ea fuit noſtrorum celeritas, ut antequam fere duo, treſve e prælio elapſi rem Lobcoviczio geſtam renuntiarent, Lobcoviczius ipſe omnia ſuperiora loca noſtrorum armatorum multitudine completa reſpiceret. Quare incertus & perturbatus, quo occurreret, auxiliumque ferret, quidque in quaque parte opus eſſet, vix cognoſcere ſubito aut conſtituere dicitur potuiſſe. Jamque Regii, ingenti ubique illato terrore, Auſtriacorum caſtris appropinquare videbantur; Et Comes Marianus Præfectus Fabrûm Regis Hiſpaniarum, quippe qui montem occupaverat, quem appellari Spinam, in-

inque hoſtium caſtra propius vergere diximus, tamquam e loco editiore impreſſionem jam facturus cernebatur. Tum vero turbatis Auſtriaci ordinibus totis trepidare caſtris, & concurſare cœperunt. Calones autem, lixæ puerique diverſi, diſſipatique in omnes partes fugiebant, & mulieres, quarum erat in caſtris ex conſuetudine Germanorum magnus numerus, loca omnia lamentatione, & fletu complebant. Nonnulli etiam cum impedimentis ad Urbem uſque Romam continenti impetu procurrerunt; & Romæ quidem trepidatum, occluſæque ſubitæ irruptionis metu portæ ſunt: Cum motis ſemel nimium in terrorem animis, & fama rem, ut ſolet, augente, jam fugientium, jam inſequentium pulverem videre ſibi aliqui viderentur. Atqui potuiſſe eo die totum Lobcoviczii exercitum deleri, ne ipſi quidem Auſtriaci negant, ſi Hiſpani, Neapolitanique inſtitiſſent perterritis atque ad fugam ſpectantibus, oblataque ejus diei occaſione uſi fuiſſent. Sed noſtri Duces, ſive ipſi inſidias veriti, locorumque anguſtias, quod ſaltus, valleſque intercedebant, ſive quod

fi-

fixum jam apud Regem & conſtitutum erat ſummam rerum in nullum dari diſcrimen, conſecuti id, quod animo potiſſimum propoſuerant, receptui repente cani juſſerunt. At milites præter opinionem revocati ægrius recipiebant ſeſe, cum ad invadendos hoſtes, tantulo ſpatio interjecto, exardeſcerent, ipſumque Ducum imperium carpebant in colloquiis, quo imperio celerem, præſentemque victoriam interpellari dicebant. Hoſtes porro inopinato noſtrorum receptu facultatem nacti colligendi ſeſe Spinam, ſubito, unde profugerant, montem recuperarunt, atque operoſa munitione circumvallarunt. Hunc noſtri montem a Comite Mariano occupatum jam, neſcio qua de cauſa, juſſi erant deſerere; tametſi teneri is propter loci opportunitatem omnium maxime oportere videretur. Neque enim hoc etiam a noſtris obſeſſo monte, qui hoſtium caſtris tam ex propinquo imminebat, conſiſtendi ſpatium illis fuiſſet. Poſtero die cum, excelſiora etiam cæteraque amiſſa loca recuperare eruptione facta, tentaſſent, magno a noſtris cum detrimento repulſi

ſunt,

ſunt. Lobcoviczius hac ſpe dejectus, & periculo coactus, ne ſuus exercitus noſtris munitionibus, præſidiiſque ſubjectus, tormentorum vi vexaretur, caſtra paulum a lævo latere reduxit, ac contraxit, ipſumque prætorium longius ab oppido Nemorenſi in Cynthianum poſt Triviæ lacum removit. Rex montem, qui a Piſtaluccio tenebatur, atque occupata etiam Artemiſii montis juga, tribus inſideri ſtationibus, & munitionibus firmari juſſit, advectiſque deinceps a Cajeta majoribus tormentis, olliſque incendiariis offenſari hoſtium caſtra, munitionemque Spinæ monti impoſitam labefactari imperavit, eique negotio Comitem Gazolam præfecit, qui adhibitis quingentis operariis, atque ipſe ad opus excubans, celeriter, quod imperatum erat, facere inſtituit. Imperavit præterea Rex Syrmonetam oppidum, quo in oppido ſaucii deponerentur, tormentis atque opere communiri, & Privernatem tractum continuis obſervari cuſtodiis, ne infeſto excurſionibus itinere Neapolitano durior eſſet commeatuum ſubvectio. Et ſane omnium rerum copia terra, marique a

Neapoli, atque a portu Antiate in caſtra ad Velitras comportabatur. Aquæ autem inopiæ, qua nos illi, interrupto fonte, in extremas compelli anguſtias crediderant, occurrebatur, puteis ſubfoſſis, atque aquæ venis ubique diligenter exquiſitis. Ita noſtri ſatis tuto, ut videbatur, loco, atque ad omnia opportuno conſederant.

Per idem fere tempus ſcripſerat Lobcovicziùs ad Præfectum Britannicæ Claſſis, quæ ad Inſulas Stoecades, quæ ſunt contra Olbiam in Gallia Narbonenſi, ſtationem obtinere conſueverat, aliquot a claſſe Naves abductas, circumagi Cajetam ac Neapolim verſus juberet. Item Comitem Soroum in Veſtinos, ac Marrucinos miſerat, qui partem, quam illi attribuerat copiarum, in eorum fines introduceret, eo conſilio, ut tentato pluribus locis Regno Regiæ vires diſtinerentur; ſimul ſperans, populos navium, atque copiarum adventu vel perterritos, vel incitatos labi ad ſeditionem facilius poſſe. Quæ ſeditionis ſpes, toties licet irrita, Auſtriacorum tamen animos detinebat adhuc. Et viſæ quidem ex continenti Naves, quæ Cumanum littus legebant,

bant, inanem potius terroris ſpeciem, quam tumultus cauſſam præbuere. Erant enim a militibus, quos in terram ad turbandum ejicere oporteret; imparatæ omnino, atque omnem illam oram præſidiis diligenter adſervatam egregieque propugnaculis munitam offenderant. Magdonelius præterea Legatus, miſſus eo ab Rege hac de cauſſa, omnes earum motus ſpeculabatur, attenteque videbat, nequid ab ea parte Regnum detrimenti caperet. Neapoli vero quieta omnia & tranquilla erant. Neque enim ullus unquam populo acceptior Rex, neque Regi obſequentior populus, qui quo cupidius ad defectionem ſolicitari videbatur, eo impenſius ſuam Regi fidem præſtare, omnibuſque illum domi foriſque rebus juvare ſtudebat. Tanta eſt moderati, leniſque imperii vis. Interim Comes Sorous, in Veſtinos, ac Marrucinos progreſſus, Theatem occupare conatus erat, atque Amiternum, Interamniumque, & quoſdam ignobiliores vicos Reginæ Hungariæ Imperio minis, pollicitationibuſque adjunxerat, ipſamque Amiterni arcem ad deditionem pellicere properabat, volitans

in tota Provincia lætus, ac prædabundus. Sed ne hæc illi diutina eſſet lætatio, primum quidem Montani pedites effecerant non ampliùs quinquaginta, iique valetudinarii, qui præclare illum ab Theate rejecerant; & deinde Varga Caſtrorum Præfectus, qui cum ducentis equitibus, & militibus aliquot Aterni præſidio deductis impetum ejus retardaverat; & poſtremo Dux Vievillaeus Legatus militaris animi vir, qui Neapolitano equitatui præerat, & qui cum ſatis valida equitum, peditumque manu juſſu Regis eo ab Veliternis Caſtris venerat, ne illius Provinciæ malum, neglectum ſi videretur, longius facili ſemper ad pejora exemplo manaret. Atque hic omnem ſubito adveniens Provinciam pacavit compluribus interfectis, reliquis pulſis, fugatiſque hoſtibus, & nonnullis popularibus in vincula conjectis, qui in Reginæ Hungariæ verba celerius juraverant, quam ut coacti viderentur. Aliqui, dum ſibi ex conſcientia timent, aufugerant, in hiſque Epiſcopus Interamnenſis, qui fatuo quodam, atque alieno a ſanctitate muneris animo liberius adverſus Regias partes locutus eſſe dicebatur.

Lob-

Lobcoviczius erat interim vehementer perturbatus, quod multa, ac diverſa cum eſſet expertus, nulla res ſucceſſerat, & de concitandis populis, deque commeatibus intercludendis, & prohibenda omnino aquatione ſpem ſe fefelliſſe cognoverat. Profligato etiam Piſtaluccii præſidio, & locis amiſſis editioribus tantam eſſe rerum factam converſionem videbat, ut qui premere noſtros arctius de loco ſuperiore cœperant, ipſi modo noſtrorum tormentorum telis miſere premerentur. Ipſe autem Lobcoviczius inſolens male audiendi valde angebatur, quod ſua culpa, & negligentia damnum illud Auſtriacis illatum eſſe nonnulli dicerent; propterea quod & non ſatis firmo præſidio locum illum a Piſtaluccio teneri juſſiſſet, & laboranti auxilium non ſubmiſiſſet in tempore, & juga ſumma Artemiſii montis indefenſa reliquiſſet; ſuam inſuper cunctationem omnibus jam irriſui eſſe ex ipſius rei judicio ſuſpicabatur. Qui enim magno noſtrorum contemptu, magnaque celerrime potiundi Regni expectatione venerat, is triginta millium ab Urbe Roma itinere vix con-

fe-

fecto circa unum modo montem tamdiu, tamque longe a Regno hærebat. His de cauſis, & quod de Rege Sardiniæ, deque Gallia Ciſalpina gravior in dies metus inſtabat, multaque trans alpes accidiſſe Auſtriacis incommoda audierat, conandum ſibi aliquid Lobcoviczius exiſtimavit, quo & detrimentum ſarciret acceptum, & ſibi tandem in Regnum aditum patefaceret, & denique expeditionis ſuæ jam ſeneſcentis famam vindicaret.

Erat, ſi vera tacere nolumus, noſtrorum caſtrorum lævum latus neque ita diligenter poſitum, neque munitum ſatis, neque etiam cuſtoditum, ut rei militaris ratio, & tam propinquus hoſtis poſtulabat. Nam equitatus, qui explicare ſe tam interciſis, & anguſtis in locis non poterat, quique aliqua peditum manu contineri debuerat, continebat ipſe Hibernicorum manum. Quæ quidem manus inter Oppidi muros, atque equitum alas collocata ad rem gerendam efficiebatur inutilis. Fanum autem Mariæ, quam Hortenſem appellant, quod unum eſſe poterat ſiniſtro lateri propugnaculum ante

te ipſa caſtra ſubſtructum, ſepire noſtri munitionibus neglexerant. Acceſſuros enim hoſtes ad hanc partem non putabant, tam longo ab eorum caſtris tamque difficili itinere, & impedito, ſi acceſſiſſent, receptu: atque ita ſane videbatur. Omnis igitur illius exercitus partis ſalus in paucorum militum cuſtodia requieſcebat, qui noctu ad ipſum ſeſe Fanum recipiebant, ibique excubabant, ut his oppreſſis facilis eſſe hoſtibus poſſet, brevis, atque inopinatus ad caſtra aditus, ut accidit. Ipſe erat locus opportunus inſidiis propter convalles, quæ vitibus, uti demonſtratum eſt, frondoſiſque arboribus conveſtitæ quamlibet militum manum occultare poterant. Atque hoc ſiniſtri lateris vitium in omnium oculos incurrebat, & ut deprehendi etiam poſſet, hæc forte acciderant. Primum quod per eos dies Comiti Sevio Legato per indicem falſo nunciatum erat, bifariam partitis copiis adeſſe hoſtem, ut ſiniſtrum noſtri exercitus latus invaderet, quo inani licet rumore admoniti non defuerunt, qui quod non contigerat, facile tamen contingere poſſe animadverterent, & dicerent;

rent; tum etiam quod Hungaricorum Equitum Vexillarius quidam non ita pridem captus ab noſtris cum eſſet, palam dixerat, ſe eſſe cum undequadraginta equitibus miſſum protegendi Comitis Brounii Legati cauſa, qui caſtra Regis ab ea parte exploratum una cum militari Architecto venerat. Quæ res etſi non levem noſtris ſuſpicionem inferre debuerint, & ſermonibus omnium ferebantur, vicit tamen aut fortuna, quæ vel apertiſſimis in rebus prudentiſſimorum interdum hominum mentes obcœcat, ut dominetur ipſa; aut eorum ſententia, qui eam caſtrorum partem, tanto ab hoſtibus intervallo disjuncta quod erat, ſatis munitam, atque illis inacceſſam arbitrabantur. Itaque quidquid illic munitionis deſiderabatur, neglectum fuit. Acceſſerat huc, quod explorandi diligentia imminuta quodammodo videbatur, & diuturnitate ipſa, quæ plerumque remittit animos, & perpetua militum defatigatione, qui laborem aquandi ad quotidiana opera addebant; neque ejuſmodi diligentia neceſſaria admodum exiſtimabatur, cum item propter aquæ inopiam

piam a prima luce ad occaſum uſque Solis ducenti ferme Dracones ad fontem excubarent, qui Paganica dicitur, quique a lævo caſtrorum noſtrorum latere tria circiter millia paſſuum aberat, atque unde obſervari facile poterant viæ, per quas Cynthianum itur. Hæc omnia plane nota erant Lobcoviczio, delata per exploratores, perque transfugas, & per quoſdam ſui exercitus minores Duces, qui captivi cum aliquot apud nos dies habiti eſſent indiligentius, data fide dimiſſi erant, & fortaſſe etiam per nonnullos Oppidanos, qui ſive odii, ſive quæſtus gratia omnia illi noſtra indicabant. Lobcoviczius his cognitis rebus, & conſilio cum paucis primorum Ducum, ne res efferretur, communicato, lævam Regis caſtrorum partem, Oppidum, atque ipſam propterea, in qua Rex diverſatur, domum patere docet inſidiis, & repentinæ incurſioni. Quæ ipſe certis nunciis, atque auctoribus compererit, oſtendit. Tentanda etiam ab dextera Regis parte Artemiſii montis juga, atque uno eodemque tempore in noſtras munitiones irrumpendum eſſe demonſtrat, quo faci-

lius incauti, duplicique terrore diſtracti opprimamur. Audendum eſſe ; omnia fore audentibus proclivia. Unum ſeſe pro Imperatoris perſona monere, orare eos pro gravitate negotii, ut quod fortuna conſilium comprobare videatur, ipſi fide, ac diligentia adjuvent, ſciantque in ejus diei eventu omnium laborum finem, victoriæque ſpem poſitam eſſe. Probatur res ; tametſi primo diſſenſerit Comes Brounius, cujus ſupra mentionem fecimus, ſummi homo ingenii, & bellicas omnes a pueritia artes edoctus, qui neque ſatis virium ad tanta molienda ſuppetere, neque occultiſſime ad Regis caſtra iri, neque illinc receptum eſſe, præſentientibus Regiis, ſine maximo detrimento poſſe dicebat, multoque commodius occupari poſſe arbitrabatur munitiones Regis, & montium culmina, ſi omnes in id unum copiæ incumberent. Poſt ipſe quoque dedit Brounius manus aut obſequio erga reliquos, aut quod in aſperis audaciſſimum quodque conſilium optimum videretur. Igitur omnium, qui aderant, conſenſu totius rei ratio, & tempus conſtituitur.

Pri-

Pridie illius diei, qui fuit dies ad III. Idus ſextiles, tam audacis incœpti memoria celeberrimus, animadverſum eſt a noſtris ſpeculatoribus partem quandam hoſtium copiarum ab dextero ipſorum cornu paulatim ſe movere & progredi mare verſus. Quod fieri ab iis commeatus cauſa noſtri ſuſpicabantur. Jamdudum enim ad oſtia Tyberina aliquot Britannicæ claſſis naves conſtiterant, ut hanc forte ſuſpicionem augerent. Sed Lobcoviczius longe alio ſpectans latiſſimam pluribus, atque inter ſe connexis ſtationibus regionem complexus erat, ne quis ad nos index erumperet, neu Brounii Comitis iter dignoſceretur. Qui una cum Novato Marchione conſilii participe, ſilentio, prima nocte progreſſus eſt militibus ipſis, quo ducerentur, ignaris, quorum delectorum equitum, ac peditum erat numerus millium ſex. Cum omni circa proſpectu tenebris, ac vineis adempto clam perveniſſet ad fontem, qui juxta Mariæ Hortenſis Fanum in ima convalle eſt, neceſſario agmen ſubſiſtere juſſit, dum equitatum expectat, qui aliam, ut eo perveniret, ingreſſus viam, ignorantia loci,

longiore circuitu deflexerat; quod accidit incommode. Lux enim jam appetens opportunitatem illis, tumultum noſtris deminuebat. Nunciatur etiam Brounio aufugiſſe militem. Quo ille nuncio vehementer permotus Novatum, nonnulloſque adhibet militum Tribunos, & quid agendum ſit celeriter conſulit; nam veriſimile erat, tametſi non accidit (neque enim hic uſpiam transfuga apparuit) comperto noſtros per transfugam adventu hoſtium, in armis e veſtigio futuros, inſignemque ipſis illaturos cladem, quam imparatis noſtris inferre illi cogitabant. Cum Novatus pedem referri, aliique alia cenſerent, neque ſatis quicquam, ut in ſubito caſu, expedirent; tum Brounius, qui tantum incœptum tam parvo momento everti nollet, atque ardore quodam militari incitatus: Pergamus, inquit, jacta alea eſt: ſimul omnem militibus rem aperuit, eoſque præmiis, ac pollicitationibus cohortatus, cum jam adveniſſet equitatus, & luceret jam fere, ſignum dat irruptionis. Acceſſere hoſtes illico trifariam diviſis copiis: facile vigiles, caſtrorumque cuſtodes obtruncant, quod

eos

eos adorti eſſent occupatos in equis contra militarem diſciplinam inexplorato curandis. Statim inde in noſtrum lævum latus ab omni parte impetum faciunt. Noſtri vix cognita vigilum cæde, continenti hoſtium impetu & rei novitate, ac magnitudine perterriti, perturbatique, paſſim cæduntur, paſſim fugantur. At Grimaus Barcinonenſis, qui Reginæ Neapolitanæ Draconum alæ præerat non amplius quinquaginta ex terrore, & fuga Dracones colligit. His imperat ut ad pedes deſiliant, tentent extrema: excurrat interim aliquis, qui Hibernicorum manui denunciet, ut celeriter ſubſidio advolet. Sed cum a fronte ſubire Auſtriaci non intermitterent, atque ab omnibus partibus circumfunderentur, & jacula acciderent creberrima; non imperio in tumultu, non virtuti in multitudine hoſtium, locus eſſet, illi ipſi quinquaginta, qui amplius ſemihora, compluribus illorum vulneratis, atque interfectis audaciſſime repugnaſſent, pelluntur tandem; cum præſertim nullum aliud ſubſidium Hibernicorum manus ſubmiſiſſet, quam militum Provincialium centuriam, quæ

né-

neque paucos illos Dracones laborantes ſuo adventu confirmare potuit, neque ipſa hoſtium impetum tulit. Hac interim a quinquaginta Draconibus interjecta mora, equitum quidem turmæ recipere ſe ad lævam Romanæ viæ feſtinanter adeo cœperunt, ut plures, equis relictis, pedibus profugerent. Unus omnium ab hoſtibus circumdatus reſtitit Marſilius Senenſis, Hieroſolymitani Ordinis Eques, qui quadam occupata caſa cum quadraginta equitibus, qui & ipſi, amiſſis equis, pedibus præliabantur, tantum animi fortitudine profecit, ut alæ ſuæ pecuniam publicam, Præfectique impedimentum omne ſervaret. Hibernicorum autem manus adverſus hoſtes conſtitit pro oppidi porta Neapolitana, quam qui inſtatione ibi erant, inconſulto occluſerant. Eodem tempore cohortes quatuor Belgarum prætorianorum, quæ in prima lævi lateris fronte caſtra habebant, cum tumultario equitatus receptu flexuoſiſque tramitibus impeditæ ad Hibernicorum ſubſidium adniti non potuiſſent, in Oppidum per dirutos muros ab ea ſe parte inſinuarunt, in qua paulo infra Curiam

Mi-

Minoritarum esse Cœnobium demonstravimus. Ita Hibernicorum manus omni auxilio destituta, cum neque in Oppidum intrare occlusa porta, neque per latera se recipere, circumventa, atque oppressa a multitudine hostium, posset, ferme omnis fortissime pugnans interfecta est. Ibi Magdonelius Tribunus militum, atque ejusdem manus Centuriones undecim, aliique complures minores Duces occiduntur, qui partam Camposanctensi prælio, & vetustate militiæ bellicam laudem hoc honestissimo mortis genere cumularunt. Dum vero nostri Neapolitanam portam defendere, conferto illi agmine irrumpere conantur, eodem vestigio temporis Rex a Marchione primum Villafuertio Castrorum Præfecto de repentina hostium incursione certior factus est. Nam Decurio Custodum corporis, aut periculum non præsenserat, aut in tanta re Regem, credo, interpellare verebatur. Rex confestim gladio succinctus, prosequentibus Purpuratis nonnullis, & Custodibus corporis stipatus, qui ad cubiculum ejus excubabant, postico egreditur domo. Cumque ab ea parte, qua Valmontonium itur

per

per adjacentes domui hortos, quinquaginta vix paſſus pedibus progreſſus eſset, equum nactus, primum equites Regios prætervehitur, iiſque ad ſui defenſionem jam exardeſcentibus, clare, ut nemo non exaudiret, Recordamini, inquit, veſtri Regis, veſtræque priſtinæ virtutis, & nequid durius accidat, diligenter providete. Mox ad Capuccinorum tumulum evadit. Illum Dux etiam Mutinenſium, & Marchio Hoſpitalius Galliarum Regis Legatus, & in exercitu Regis Neapolis voluntarius caſtrorum Præfectus proſequebantur. Qui quidem de quarta vigilia ad Artemiſium montem una profecti, audita hoſtium irruptione, in oppidum properantes redierant de Rege ſolliciti, ad eumque ſeſe in itinere aggregaverant, omni jam militari inſtrumento, quod apud ſe in oppido habebant, adempto ab Auſtriacis velitibus, diſtractoque. Utriuſque eo die & in adeundis periculis, & in ſuarum jactura rerum fortis, conſtanſque animus apparuit. Sed Rex ad dextrum cornu profectus, atque in media Hiſpanienſium prætorianorum legione conſiſtens, quid ubique opus ſit, forti,

at-

atque erecto animo circumſpicit, atque imperat, nullum eo die ſcientiſſimi Imperatoris officium prætermittens. At hoſtes Hibernicorum manu deleta, diſſipato equitatu, equis ſuffoſſis, & captis plurimis, ſiniſtrique cornu tentoriis omnibus direptis, atque incenſis, impetu facto portam effringunt, cuſtodibus nequidquam obnitentibus, & Nicolao inprimis Sanſeverinate Biſiniani Principis fratre nobiliſſimo, qui dum fugientes milites alios increpat, alios manu prehendit, & conſiſtere jubet, plurimis ipſe vulneribus conciſus jacuit, & pro occiſo relictus eſt. Illi effracta porta, captiſque militaribus ſignis novem, quæ ibi congeſta raptim in unum repererant, tripartito iterum copias dividunt, quarum dextera pars in illam ſe viam immiſit, quæ ad Ginnettiæ gentis domum pertinet; ſiniſtra ad Curiam Septentrionem verſus contendere cœpit; per latiorem autem, ac perpetuam illam viam, qua totum oppidum diſtingui diximus, media acies proceſſit. Tali inſtructo agmine, & malleolis, quos ſecum ad Velitras incendendas tulerant, in proxima quaque verſum tecta conje-

ctis, magna ſtrage, majore tumultu Oppidum invadunt. Oppidanorum multitudo inſolens belli, abdita in penetralibus, aut ingenti terrore perculſa obſtupeſcit, aut quem eſſe illum putat ultimum Patriæ ſuarumque fortunarum diem miſera deteſtatur. Diſcurrunt illi ubique cum ferro, & facibus, obvios omnes armatos, atque inermes occidunt. Scrutantur domos nulloque diſcrimine noſtrorum, atque Oppidanorum bona diripiunt. Qui ex noſtris forte in domibus erant, & prius intra parietes verſari hoſtes viderant, quam veniſſe cognoverant, ad unum omnes, aut trucidantur, aut capiuntur. Ardens podagræ doloribus Comes Marianus conſurgere de lecto ſtatim jubetur, atque in equum illatus abducitur. Atriſci Dux ex ſeminuſtulata, ac diruta domo vix elapſus ad equites Regios, quorum erat Præfectus, equo citato contendit. Et jam majorem Oppidi partem ignis, atque hoſtis, cætera omnia tumultus, ac terror compleverat, adeo ut nemo eſſet tam fortis, quin tanta rerum perturbatione moveretur; cum præſertim, qui timorem plerumque conſequi-

tur,

tur, vanus deleti exercitus rumor percrebeſceret. His tantis malis hæc fuere ſubſidio, quominus extrema acciderent; quod noſtri tametſi a fortuna deſeri videbantur, animum omnino tamen non demittebant; illi autem effuſi in rapinas magis de præda, quam de reliqua victoria cogitabant.

Gagius cum primo mane vigilias circumiret, & tum forte ad Virtzianam manum, quæ in medio exercitu collocata erat, perveniſſet, cognito lævi lateris tumultu, conclamari primo ad arma, deinde Virtzianam ipſam manum illuc celeriter ſubſidio jubet accurrere. Ipſe fore id, quod accidit, ſuſpicatus, ut ab dextero etiam latere Artemiſii montis juga, munitioneſque hoſtes tentarent, eo properat, ſatis in Caſtropiniani Ducis præſidii eſſe exiſtimans ad defenſionem Oppidi. Auſtriaci ubi jam ſuos in noſtrorum caſtrorum lævum latus, ipſumque Oppidum irrupiſſe ex incendiorum fumis cognoverunt, quod tempus inter eos irrumpendi etiam ab altera parte convenerat, ſtatim cum audaciſſimorum peditum millibus III. bifariam diſtributis

montem occupant editiſſimum illum, quem cum Aricino nemore continentem eſſe ſupra docuimus, & qui in ſtatione ibi erant, Montanos pedites facile inopinantes deturbant. His deturbatis eadem vi alteram, atque inde tertiam ſtationem adoriuntur; quarum milites communicato viciſſim terrore, & disjectis ordinibus regredi cœperunt. Cum jam haud multum abeſſet, quin noſtris illi munitionibus potirentur, reſque hoc etiam in loco ad extremum deducta caſum videretur; Gagius veteranam legionem, quæ a Corona nomen accepit, & Campanam legionem Provincialem, cohorteſque alias nonnullas eo ſtatim occurrere, & auxilium ferre juſſit. Tum vero atrox oritur prælium. Fit magna utrinque cædes. Ipſe, qui toti negotio præerat, ejuſque auctor præcipuus fuiſſe creditur, Dux hoſtium Andreaſius vulneratur; aliqui ex noſtris, aliqui ex hoſtibus comprehenduntur, ſuos quiſque milites hortatur, atque excitat: unum illud eſſe tempus, quo maxime contendi oporteat: noſtri, niſi rem obtinuerint, de omni ſalute deſperant: illi, ſi noſtras

occu-

occupaverint munitiones, ſe omnino viciſſe exiſtimant. Hic cognoſci potuit, quantum ad incitandos milites, eorum, qui præſunt, valeat exemplum. Nam Campanæ legionis milites modo conſcripti, primum quidem deterriti hoſtium multitudine, qui acrius de ſuperiore loco inſtabant, ipſiuſque loci iniquitate, quæ maxima erat, & quo eniti vix quiſquam ſine armis, ſineque ulla dimicatione poſſet, paulum ceſſere, parumque abfuit, quin ordines perturbarentur. Poſtea cum ad Tribunum militum Ariciæ Principem, & Centuriones, ſuoſque alios Duces ora convertiſſent, qui omnes, gravibus licet debilitati vulneribus, acerrime pugnabant; horum ipſi exemplo erecti jacula exceperunt, immiſeruntque fortiſſime. Idem cum veterana legio Tribuno militum Alphonſo Savallio & ipſo vulnerato faceret, ne a tyronibus virtute vinceretur, hoſtium pauliſper impetus tardatus eſt. At Rex, qui ſingula ex propinquo attendebat diligenter, cum ſuos premi animadvertiſſet, Joannem Paciæcum opportuniſſime miſit, qui cum legionis, quæ Regina Hiſpanienſis appellatur,

latur, cohortibus duabus inclinantes reſtitueret; eodemque tempore Gagius una ex parte Macedonicam legionem, quæ veterem eo die Macedonum gloriam æmulata eſt, unaque Parmenſis manus centurias aliquot procurrere: Ex altera vero Caſtellanam manum, quam Hiſpanienſium prætorianorum cohortes ſequebantur, ſigna inferre juſſit. Quo facto tantus hoſtibus terror injectus eſt, quod circumveniri ſibi videbantur, ut complures armis projectis ſeſe per rupes præcipitarent, atque ita alliſis ad ſaxa membris interirent: reliqui vero omnes pedem, qua poſſent ratione, referrent; deſperatis præſertim ſubſidiis, quæ ſubmittere illis Lobcoviczius nequaquam e re judicaverat. Noſtri autem, Macedonica potiſſimum legio, & Parmenſis manus Pyrochitrophorum centuriæ, plus tertia hoſtium parte interfecta, tam audacter inſecuti ſunt fugientes, ut omnia juga Artemiſii montis citiſſime recuperaverint, quæ illi ſuorum paſſim conſtrata cadaveribus reliquerant.

Quæ dum illic geruntur, Caſtropiniani Dux, qui Oppido defendendo præ-

erat,

erat, comperto Regem, cujus magnopere periculo commovebatur, exiiſſe jam ad dextrum cornu, ut quæ ibi opus eſſent adminiſtraret cum Gagio: Ipſe Cohortes Belgarum prætorianorum quatuor, quas a Minoritarum Cœnobii parte ſeſe in Oppidum inſinuaſſe antea diximus, adverſus hoſtes eodem ſubeuntes ire jubet. Huc evocat Virtzianam manum a Gagio jam ſubmiſſam initio tumultus, atque Helvetiorum prætorianorum partem. Reliquas Belgarum prætorianorum cohortes duas Placido Sangrio Legato imperat, uti a Ginettiæ domus hortis in Oppidum deductas mediæ ingruentium hoſtium aciei opponat. Harum partem atque una Flandrorum manum, quæ in proximo erat, & caſtrenſes machinas duas Facardo Caſtrorum Præfecto adtribuit. Cum his mandat, uti eam teneat viam, quæ ad Ginettiam pertinet domum, & qua etiam hoſtes progrediebantur. Regiorum equitum turmam ſubſidiariam in maxima Oppidi Platea inſtruit. Sic noſtris quoque copiis tripartito diviſis, tribus locis concurritur. Minoritarum Cœnobium, Curiam, omnemque illam Oppidi partem

tem ſummam ad Aquilonem converſam, obtinere hoſtes conabantur, & ſuccedebant inſolenter. Attamen a noſtris, qui catervatim per compita, ut a viris fortibus in extrema ſpe ſalutis pugnari debet, acriter pugnabant, loco tandem pelluntur; & multis utrinque interfectis, ex iis autem captis centuriis integris duabus, pedem coguntur referre. Eamdem ab altera parte fortunam ii tulere, quos Ginettiam petentes domum urgebat Facardus, & conſiſtere nuſquam patiebatur. Sed longe vehementiſſime in latiore Oppidi via ad mediam aciem laborabatur. Namque hoſtium pars domos ingreſſa e feneſtris, ac tectis jacula in noſtros conjiciebat, ſuoſque reliquos per viam audacter progredientes, & cædem facientes maximam protegebat; Cumque noſtris nocerent plurimum, quod nullum e feneſtris jaculum fruſtra mitteretur, noceri autem ipſis, qui a muris ædificiorum defendebantur, vix poſſet, eo jam ventum erat, ut triginta non amplius paſſus a maxima Oppidi Platea hoſtes abeſſent. Quorum audacia prælique anguſtiis permoti ipſi Belgæ prætoriani, etſi nullam da-

dabant fugæ ſuſpicionem, lente procedebant tamen. Eo tum advenit Comes Bofortius Legatus, qui in eadem Belgarum prætorianorum legione ordinem ducebat, ſingularis animi vir. Hic videns imminere hoſtem, ſuoſque ægre procedere; quid cunctamini, inquit, Commilitones, aut quod tempus probandæ virtutis veſtræ expectatis? hic dies maxime noſtrum nomen illuſtrabit. Hæc eloquutus diſtricto gladio præcurrit ante omnes. Sequuntur hunc redintegratis animis milites, centurioneſque. Ipſe adhortans, & pugnans Bofortius graviter in adverſum pectus jaculo vulneratur. Non tamen deſiſtit, quoad jam ſemianimis per manus tractus extra aciem refertur. Tum vero tanti viri caſu irritati Belgæ prætoriani in hoſtes ardentiſſime irrumpunt; nonnulli, allatis ſecuribus, domorum portas exſcindunt, atque omnes ibi repugnantes interficiunt.

Mutatur belli fortuna. Illi qui in ſpem potiundi Oppidi certiſſimam venerant, fugantur a noſtris, qui ceſſiſſe videbantur. Capitur Novatus, antea oppreſſus, quam nihil tale ſuſpicari poſſet,

& qui diutius dum moratur in domo, quæ Mutinenſium Duci habitandi cauſa erat attributa, fugam non ſentit ſuorum. At Brounius, qui agmen cogebat, neque in Oppidum intraverat adhuc, ubi captum Novatum, cedentes ſuos, noſtros inſequentes videt, receptui confeſtim cecinit, maxime, ut dicebatur, timens ne a latere circumveniretur; cum præſertim Lobcoviczius, qui idoneum nactus locum omnia ſpeculabatur, non ſibi ſubmittendis ſubſidiis nudanda caſtra, atque exercitus fortunas omnes devocandas in dubium exiſtimaverit. Simul videbantur ſubſidia, quæ ille, inclinata jam re, ſubmiſiſſet, implicata præcipiti ſuorum receptu tumultum potius, quam præſidium allatura cedentibus.

Receptis Velitris, Caſtropiniani Dux ad cuſtodiendam inpræſentia Oppidi portam Neapolitanam cum iis copiis, quæ in eam partem ex tribus viis, repulſis hoſtibus, confluxerant, & cum machinis caſtrenſibus duabus, & præterea noſtris Hungaricis equitibus circiter centum Leſſium caſtrorum Præfectum reliquit: ipſe ad dextrum cornu profectus de re-

bus,

bus geſtis certiorem facit Regem. Rex, qui uno eodemque tempore & a montanis munitionibus, & ab Oppido fugatos hoſtes cognoverat, imperat Caſtropiniani Duci, ſi recte atque exercitus commodo fieri poſſit, recipientem ſe Brounium adoriatur: deſcendat interim Gagius ab Artemiſio Monte, atque irrumpat in caſtra hoſtium, quæ imparata fere a militibus eſſe conſtabat. Sed controverſia illata de itinere, quo maxime hoſtem, ſicuti Rex imperaverat, perſequi placeret, & noſtros ad inſequendum tardavit, & quietiorem illis receptum dedit. Neque enim ſatis erant nota noſtris loca tam multis tranſverſiſque tramitibus diviſa, neque Oppidanorum ad ea commonſtranda fidelis opera videbatur: & multa in utramque partem diſputabantur, cum alius veſtigiis hoſtium inſiſtendum, alius breviore itinere occurrendum putaret. At Vallishermoſæ Comes, qui omnia eo die ducis, ac militis officia præſtiterat, & mirifica tum ulciſcendi hoſtes cupiditate flagrabat; fidenter, ſane, ac libere, quid inquit, conſultando tempus conterimus? Hoſtes impune in conſpectu noſtro elabi

non eſt ferendum; manu opus eſt, & celeritate. Simul ſe itineris ducem profitetur: (omnem enim circa regionem, adjutore uſus Ambroſio Hurlierio præſtantis ingenii homine, & Borboniæ Draconum alæ Propræfecto, quod eſt in adminiſtrando bello præcipuum, accurate cognoverat) Seſe ait ab ea parte, qua pons eſt, qui appellatur Mela, prope Oppidum Lanuvium copias adducturum, ubi & equites noſtri manus poſſint conſerere, & hoſtes circumventi a latere, atque omni ad Cynthianum intercluſo itinere, præſentes inſignis audaciæ pœnas luant. Hæc vicit ſententia. Sed ipſa jam diſputatio multum extraxerat temporis, atque aliquid etiam moræ addiderant Helvetiorum prætorianorum cohortes, dum accerſuntur, dum veniunt; eo quidem conſilio accerſitæ, ut majori peditum numero ſeptus equitatus ex anguſtiis tutius emergeret, atque in agro Lanuvino locum nanciſceretur æquum atque apertum. Tandem procedere noſtri incipiunt eodem itineris Duce, qui fuerat auctor ſententiæ. Sed jam effugerant hoſtes; quod ubi reſcivit Rex, intercludi illos receptu

poſ-

poſſe deſperans, & militum labori parcendum exiſtimans, quod valde eo die defatigati fuerant, Caſtropiniani Ducem, Gagiumque ulterius progredi vetat, & copias reducere jubet in caſtra. Sic cum prima luce prælium cœpiſſet, hora fere nona reſederant omnia ab tumultu, & in ſua ſe utrique caſtra receperant: Regii quidem feroces, atque alacres, quod cum omnium judicio oppreſſi, ac deleti pene viderentur, animum tamen non deſpondiſſent, & collectis viribus terga hoſtes ſubito vertere coegiſſent, magnaque eorum cæde novem militarium ſignorum jacturam compenſaſſent. Auſtriaci autem magis præda onuſti, quam laude inſignes ferebantur; nam latrocinandi aviditate corruperant gloriam facinoris, quod laudari poterat, ſi peractum fuiſſet.

Poſtero die Rex collaudatis nominatim Comite Gagio, & Caſtropiniani Duce, quorum in repellendis hoſtibus opera fuerat uſus forti, ac diligenti, omnibus generatim gratias agit; Hiſpanis, quod tantis ſubito objectis difficultatibus, tamen a conſueta virtute non diſceſſiſſent;

ſent ; Neapolitanis, quod veteranorum virtutem fide atque amore erga ſuum Regem adæquaſſent. Atque incitandæ honeſtandæque virtutis cauſa, militaribus nonnullos præmiis auget, cum primis Nicolaum Sanſeverinatem, atque Ariciæ Principem, qui periculoſe ex vulneribus decumbebant; quorum alterum ab inferiori gradu ad Tribunum militum ſe traducere pronunciat, alterum in ampliſſimum Divi Januarii Equitum ordinem cooptat. Totum denique exercitum bona ſpe complet, hortaturque, ne, quæ fortunæ quodam jure acciderint, graviter ferant; & quoniam in bello omnia cedere ſecunda non poſſint, lætentur potius, quod hoſtes pene victores tanta fuerint cum eorum cæde a caſtris rejecti, quam doleant, quod ad caſtra acceſſerint, & partem aliquam abduxerint impedimentorum. Cogitur etiam in unius Oppidani ſupplicium contra ſuam naturam Rex jure belli, & maximo militum concurſu, quod multa Oppidanorum perfidiæ detrimenta accepta referebantur, uti tamen magis fama, quam re compertum videbatur. Converſus deinde

de ad reliquas belli cogitationes, proximi diei caſu admonitus, firmari caſtra diligentius, & cuſtodiri vigilantius jubet. Porta Oppidi Neapolitana, & Mariæ Hortenſis Fanum, atque omnis Caſtrorum læva pars, impoſito Virtzianæ manus præſidio, collocatis æneis aliquot tormentis, oppoſito Ericio, extructo aggere, foſſa & vallo communiuntur; omnia opere tam properato, ut diebus duobus quidquid a peritioribus rei militaris deſiderabatur, celerrime perfectum fuerit. Armantur, ac veſtiuntur, qui amiſſis equis atque armis, a repentina hoſtium irruptione refugerant. Certus Provinciis militum numerus, ſinguli ſingulis Regni Principibus equi imperantur. Prolixe in eo populi, ac Principes reſpondent. Neapolitana Civitas pecuniam ad uſum belli ultro etiam non imperatam confert. Revocatur a Veſtinis Dux Viavillæus Legatus, qui repreſſo jam ac remoto Comite Soroo, adducat ſtatim ad Velitras in caſtra, quam ſecum habeat, peditum, atque equitum partem. Adducit. Etiam fortuna ipſa per eos dies facere quodammodo cum Rege viſa

eſt.

Nam quæ ne expectabantur quidem ab Hiſpaniis auxilia de repente opportuniſſimo tempore inter medias Britannorum claſſes Cajetam, ac Neapolim appulerunt. His rebus celeriter id, quod ad III. Idus Sextilis in noſtris caſtris ad Velitras deperierat, expletur, reſque ad priſtinam belli rationem redigitur.

Lobcoviczius eo conſilio depulſus, quod extremo veluti conatu ſuſceperat, & cui, grandi licet accepto detrimento, ſpeciem victoriæ oſtentationis, uti videbatur, cauſa imponebat, receptui aliquando tandem conſulere cœpit. Communitis enim noſtris caſtris, atque amiſſo ſuarum copiarum robore, nullum jam inſidiis, nullum prælio relinqui locum videbat. Milites autem, quos belli caſus fecerat reliquos, partim vulneribus ac cœli vitio conflictati, partim diuturno labore, atque infelici expeditione intabeſcentes ægre vix neceſſariis militiæ muneribus fungebantur. Diſſidebant inter ſe Duces, quod plerumque accidit in adverſis, ſummumque Lobcoviczii imperium carpere videbantur atque abnuere. Erat equitatus omnis macie prope enectus.

ctus. Erat omnis circa regio defeſſa, & conſumpta commoratione exercitus tam longa. Adventabat etiam Autumnus, grave maritimis commeatibus tempus. Pecunia deerat. Lobcoviczius ipſe, qui valde ſubſidiis indigebat, ſubſidia compellebatur ſubmittere Sardiniæ Regi tum laboranti, & quiritanti maxime. Erat denique in ſummis anguſtiis res, & ſecundum ea multa Lobcoviczium hortabantur, quare ſibi loco extedendum putaret. Nihilo tamen ſecius menſes ipſos duos caſtris Regiis caſtra collata habuit, adeo ut obtorpuiſſe inops conſilii videretur; ſive ille erat pudor abjiciendi incœpti, ſive ſpes, quæ ultima ſolet homines deſerere. Quo quidem tempore noſtro exercitui cariſſimum atque invictum bellis virum Atriſci Ducem morbus extinxit: Hungarici autem equites circiter centum impetum in Valmontonium Oppidum improviſo fecerunt, & quæ ibi indiligentius verſabatur, noſtrorum centuriam una cum Portocarrero Duce conciderunt omnem, atque ipſum deinde Oppidum habuerunt prædæ loco. Neque poſtea quidquam magnopere accidit,

quod memoria dignum prætermittendum non videatur.

Interim Regi Sardiniæ qui auxiliarentur, ad mille Illyricorum miſit, & legionem Pallavicinam mutilatam admodum ſuperiore prælio; atque eadem Lobcoviczius de profectione cogitans, quæ jam anteſenſerat, ægrorum, atque impedimentorum partem dat Andreaſio, mari tranſducendam in Hetruriam, partem itinere terreſtri ad Falerios Faliſcorum præmittere incipit, quo expeditius in ipſo receptu rapiat agmen. Mittit etiam ad hominum centum, qui junctis ratibus pontem in Tyberi ad trajiciendum exercitum juxta pontem Milvium faciant, præſidioque ibi ſint. His explicatis rebus, cum equitum alam pridie Kal. Novembris mane miſiſſet, qui ad lævam noſtrorum caſtrorum adequitarent, & quaſi munitiones explorare vellent, noſtros prælio etiam, ſi opus eſſet, commiſſo detinerent: Ipſe noctu ſilenti agmine ſubſequutus, quas interdiu præmiſerat ſenſim legiones, celeriter e conſpectu Velitrarum diſceſſit. Neque vero hoc audito moram ullam ad inſequen-

quendum intulit Rex, antea jam ſuſpicatus, huc neceſſario deſcenſurum Lobcoviczium; & præmiſſo equitatu, qui noviſſimum hoſtium agmen male haberet, & receptum demoraretur, ipſe cum univerſo exercitu inſtabat, atque imminebat. Illi unam noctem ad locum, qui mediæ viæ Turris appellatur, commorati, qua nocte noſtri in Albana valle conſederant, expedito itinere anteceſſerunt: Cumque ante ipſa Urbis mœnia iter facerent, Romanorum oculis mutabilis fortunæ exemplum objecerunt, non eodem certe vultu, neque iiſdem animis recedentes, quibus venerant. Extremum hoſtium agmen vix præceſſerat, cum ſubito apparere noſtri, & ſe oſtendere cœperunt: aſſequi vero illos, aut non potuerunt, quod major illorum fuerit in fugiendo, quam noſtrorum in perſequendo celeritas; aut noluerunt, uti tum vulgo jactatum eſt, quo vires magis integras afferrent ad earum copiarum conjunctionem, quæ percuſſo jam cum Genuenſibus fœdere, in Galliam Ciſalpinam, Philippo Regis Fratre Duce influebant. Parva tamen inter noſtri

exercitus antecurſores, & noviſſimos eorum dimicatio facta eſt ad pontem Milvium, dum pontes illi reſcindunt, quo noſtrorum incurſum reprimant. Nonnulli utrinque vulnerantur, atque interficiuntur. Sed reſciſſis pontibus Lobcoviczius celerem ſibi fugam per difficiliora itinera, atque Eugubinos montes quæſitum ivit, ſibi non omnino diſplicens, quod expeditionis exitum fœdiſſimum multo ante præſenſerat, alieno autem judicio vexatus, & eorum potiſſimum, qui fortunam convertunt in culpam, & quod male cecidit, male conſultum putant. At Rex cum in Suburbano Patricio pernoctaret, ibi eum ex Romana nobilitate Principes, & Cardinales multi convenerunt, quos ille omnes perbenigne excepit, maxime vero Aquavivam Cardinalem, quem ut vidit complexus, & gratulans ſalutem ſe Regni videre dixit. Poſtridie mane equo Romam invectus Pontificem Maximum BENEDICTUM hujus nominis XIV. ſalutatum venit, præſtantem doctrina, prudentiaque virum, cujus conſilio, atque auctoritate tum maxime Romana Reſpublica ſtetit. At Sanctiſs.

Pa-

Pater tantum Regem, maximi ipſum Regis Filium, genibus advolutum ſuis cum videret, tanta eſt voluptate perfuſus, ut difficillimi temporis acerbitatem ingenti conſolatione leniret. Luſtrat deinde Rex celeberrima Urbis loca, circumfluente omnium ordinum multitudine, quæ tum primum ſoluta propinqui belli metu, alacrior proſequebatur Regem, incredibili plauſu, atque acclamatione. Statim inde a convivio, quo magnifico, ac ſplendido acceptus in Vaticano fuit, Roma proficiſcitur, cum partem Neapolitani exercitus Gagio ad inſequendos hoſtes attribuiſſet, partem ſe ſubſequi juſſiſſet in Regnum. Ipſe receptis Liberis, & Conjuge præſtantiſſima, quæ illi ad Regni uſque fines obviam proceſſerat, Cajetam primum, mox Neapolim pervenit. Advenienti tota obviam Neapolitana Civitas longiſſime prodiit Regem ſuum, Liberatorem ſuum videre geſtiens, & præteriti periculi recordatione lætior. At victor Rex dignum victoriæ, ac virtutis ſuæ fructum tulit, benevolentiam populorum, quos ille admodum a bello revertens exhila-

ra-

ravit: hoſtes autem docuit, non leve negocium eſſe Regnum invadere, non tam militum armis, quam optimi Regis præſentia communitum.

AD

TROJANUM AQUAVIVAM

ARAGONIUM

S. R. E. CARDINALEM

MONTIS REGALIS ARCHIEPISCOPUM

Et Philippi Patris Regis Hiſpaniarum, & Caroli Philippi F. Regis Neapolis ac Siciliæ ad Pontificem Maximum, Sedemque Apoſtolicam Legatum

PRÆFATIO

Primæ Editionis.

POſteaquam, Trojane Aquaviva, ad Neapolitani Regis exercitum, atque in militiæ diſciplinam profecti ſumus, non bellicis uſque adeo corpus, animumque noſtrum ſtudiis exercere decrevimus, ut omnino illa optimarum artium pulcherrima, atque ad omnem hominem omnemque locum accommodata, & nunquam a no-

a nobis non exculta ſtudia relinqueremus. Legendo enim acceperamus clariſſimos Imperatores, non tam bellorum gloria, quam literarum præſtantia enituiſſe, atque ab his literatos homines eductos eſſe in caſtra, quos & laborum periculorumque ſocios non inſuaves, & magnarum interdum rerum auctores idoneos haberent; experiundoque cognovimus virtutis, conſiliique militaris ſplendorem, ac vim non infuſcari, ac minui, ut nonnulli perperam opinantur, ſed illuſtrari contra hiſce artibus, atque augeri plurimum. Nam ut indecorum eſt, ubi a ferro atque acie diſceſſeris, de iis ipſis rebus, quas fortiter geſſeris, aut inepte loqui, aut turpiter obmuteſcere; ſic præclarum debet videri, eruditionis ac ſcientiarum laude aliena quaſi ac peregrina ſplendeſcere militem. Multo autem præſtabilius eſt ad alendam animi fortitudinem, militiamque ipſam penitus cognoſcendam, poſt equorum armorumque exercitationes, tolerare hybernorum otium, ac præſidiorum faſtidium nobiliſſimarum rerum cognitione; Mathematicarum præſertim, atque Hiſtoricarum, unde ars omnis militaris efflureſcat ac

re-

redundet oportet, quam per deſidiam turpiſſimaſque voluptates totum animi corporiſque robur corrumpi ſinere, ac quodammodo hebeſcere. Hanc conſuetudinem ſi tenerent honeſto ſaltem loco nati, qui in regum atque imperatorum caſtra quotidie confluunt, & non prius irent ad arma, quam bonis antea eſſent artibus inſtructi; alacriores paulo ad pugnandum milites haberemus, peritiores quidem certe ad imperandum duces: & non vehementer doleremus obſcurari jam ſenſim, atque evaneſcere ſplendidam illam, ac grandem belli gerendi rationem, qua veteres Græcos, ac Romanos tanta eſſe uſos commendatione legimus. Quanquam ex hoc excellentium ducum militumque numero, & patrum noſtrorum ætate fuerunt Eugenius, Turrena, Vobanius, Follardius, aliique nonnulli, & ſunt noſtra, quorum nos exemplum militiæ rudimenta ponere aggreſſos ſequi neque pudeat unquam neque pœniteat. Nemo certe jure reprehendat, ſi, quod tempus vacuum nobis datur a labore militari, conſumimus in meditando, in legendo, atque in ſcribendo etiam aliquid, quod a militari di-

ſciplina ipſa non abhorreat. Velut id eſt quod in hoc Commentario præſtare conati ſumus, non perficiendi ſpe adducti, ſed experiundi voluntate incitati. Latinis enim literis mandare inſtituimus eam Italici belli partem, cui Carolus Siciliæ, ac Neapolis Rex non præfuit ſolum, ſed etiam interfuit, & quam ab eo tempore exorſi, quo ille ſui Regni tutandi cauſa arma ſumpſit, obviamque hoſtibus eſt profectus, felici fauſtoque ejuſdem victoris Regis reditu, ac Populis optatiſſimo concludemus. Cum vero hujuſce belli partis impetus ac furor ad Velitras diutius conſederit, eaque urbs a fortuna delecta fuerit quaſi campus, ubi exercitus utriuſque vires, atque artes palam oſtenderentur, hunc propterea librum de rebus ad Velitras geſtis inſcripſimus. Ut autem latina iſtud potius, quam alia, perſequeremur lingua, eo factum eſt, quod hoc noſtrum, quale tandem cumque eſt, opus doctis præſertim, atque elegantibus hominibus probari volumus, quibus quidem latina præcipue oratio grata atque accepta eſſe debet: & quod ſperamus fore, ut ejuſmodi rerum

noti-

notitia latinis literis illuſtrata Italiæ fines prætergrediatur fortaſſis, latiuſque propagetur; & quod demum bellorum prælio-rumque narrationes ſi latino ſermone conſcribantur, videantur mihi quidem quodammodo altius aſſurgere, & majorem inde aſſumere gravitatem, ac decus.

Ac ſi quis eſt, qui, quod ſub Neapolitano Rege ſtipendia meruerim, ejuſque ſim benignitate honeſtiorem in militia ordinem adeptus, idcirco ſtudio partium infectum ſinceram hanc narrationem falſis quibuſdam coloribus oblinere me velle ſuſpicetur; hunc ego ad eos rejicio, qui me probe norunt, ſciuntque a gratia, odio, atque ab omni præſertim mendacio multo etiam alieniorem eſſe me, quam hominem oporteat, qui velit ac debeat fortunæ velificari ſuæ. Quam quidem fortunam, ſi modo ulla eſt, honeſtatis impendio quæſitam, contemnam ſemper; ſin autem ingenuo mihi, & bonis potius quam malis artibus emergere cupienti occurret, amplectar libenter. Sed fortunæ noſtræ, qua certe inclementiore uſi hactenus ſumus, ut melius ominemur inpoſterum, tua facit humanitas, Cardinalis ampliſſime. Cujuſ-

dam enim ſingularis felicitatis loco ſtatuo potuiſſe me recipi in patrocinium ejus viri, quem natura, quem virtus, quem demum fortuna, mirifica certatim conſenſione decoraverint omni genere laudum, atque ornamentorum. Quæ ampla, illuſtria, ac ſingularia omnia habitant in omnium oculis, & non modo in totius Italiæ, ſed etiam Europæ auribus adeo perſonant, ut Hiſtoriam mihi tractanti, unumque propterea verum profitenti, verenda non eſſet, aut aſſentatoris, aut amplificatoris nota, ſi, quod neque temporis hujus eſt neque loci, laudare ea vellem magnificentiſſime. Verum in communibus laudum, virtutumque tuarum præconiis celebrent alii quidem vetuſtiſſimam Aquavivіæ gentis nobilitatem, pluribus domi foriſque facinoribus, facinorumque præmiis, plurimarum Urbium atque Oppidorum avita poſſeſſione, Regiis denique affinitatibus inſignem; alii directam illam tuam, atque expeditam ad ſummos omnes honores ſine ulla aut exiſtimationis, aut dignitatis offenſione viam; alii ſplendorem in publicis, alii moderationem in privatis, comitatem alii, alii gravitatem

præ-

prædicent: Ego vero cum hæc omnia cum cæteris eximia, ac perpetua commendatione digna judico, tum illam tuam in primis admiror in rebus gerendis magnitudinem animi, ac prudentiæ vim, qua in ſortem ipſam, conſtitutam a quibuſdam tamquam rerum humanarum dominam videris dominari. Qua excellenti, ac pene divina virtute tua allecti duo potentiſſimi Reges Philippus Pater, & Carolus Filius tot Regnorum, Provinciarum, ac Nationum negocia commendare tibi deliberarunt: eumque tantorum Regum deliberatio exitum habuit optabilem, ut cum omnia in te illi Familiamque tuam ſumma contulerint, haud ſciamus tamen, utrum tu plus illis, an tibi illi debeant. Ne longius abeam; hoc proximo, ac difficilliмo bello, de quo ſcribimus, quodque Neapolis Siciliæque Regi, Regniſque, & Borbonio fortaſſis in omni Italia nomini, magnum aliquod malum portendere videbatur; quæ tua fuit auctoritas? quæ mens? Exercitum quidem noſtrum tuis literis, tuis opibus, conſilio potiſſimum viguiſſe tuo omnes ſciunt, iique maxime qui ex noſtris, eque hoſtium copiis eo Romam tem-

tempore frequentes propter caſtrorum vicinitatem veniebant : cum te talem virum intuentes diverſo diverſarum partium homines ſenſu afficerentur , & victoriam cupiditate ac ſpe præoccupatam e ſuis abs te manibus ereptam eſſe illi mærerent , nos lætaremur . Quamobrem multo eſſe convenientius ducimus in tuo nomine Commentarium apparere , qui jam tuus eſt , propterea quod eorum factorum narrationem explicat , quorum Aquaviva nobiliſſime , tu quamquam abſens , maxima pars fuiſti : multoque majore nos alacritate , atque etiam voluptate ad eas res ſcribendas aggredimur , quas ipſi nos vidimus , quibuſque non ſine vitæ diſcrimine interfuimus .